



**Hadriani Barlandi rhetoris inclytæ Academiae Louanien[sis]
Libri tres, de rebus gestis Ducum Brabanti[a]e ;**

<https://hdl.handle.net/1874/427513>

8

2

HADRIA

N I BARLANDI RHETORIS

inclytæ Academiæ Louaniæ.

libri tres, de rebus gestis

Ducum Brabantię.

Eiusdem de Ducibus Venetis,

liber vnus.

Venundantur Louanię a Bartholomæo Grauijo,
sub sole aureo.

HADRIA

PARTE AMBIE RHETORIS
in octavo Aedemio: Louanij
libri tres, de rebus gestis
Dionysii Halicarnasensis.

Einband des Buches 7
libri tres,

Verwendet in Paris & Antwerpen
sub folio 1100.

HADRIA

NIBARLANDI IN HISTORIAM DV
cum Brabantia præfatio, ad clarissi
mos viros D. Arnoldum a Vogel
sanc, et D. Ioannem a Vvingaer
den, Canonicos insignis
Ecclesiæ Cathedralis
diui Lamberti apud
Leodienses.

HOratio autore, Omne tulit
punctum, qui miscuit utile
dulci. Potest ne quicquam Histo-
ria dulcius esse? per quam vnam tot
pulcherrimarum situs urbium, tot flu-
minum cursus, hortos, amœnos recess-
sus, musarum domicilia, patrios cul-
tus, habitus locorum, & quid quæque
ferat regio, quid quæque recuset, vbi se-
getes, vbi veniant felicius vucæ cogno-
scimus, & domi manentes sine sum-

HADRIANI BARL. IN HIST.

ptu, sine periculo orbem ipsum terra-
rum nobis peragrasse videmur. Eius-
dem muneris utilitas nonne maxi-
ma est? vitā, mores, facta hominum,
consilia item, atq; euentus rerum in
medio ponit, in quę posteritas omnis
tanquam in speculum inspicere pos-
sit, & vitam moresque componere.
Quid bonorum animos principum
ad res cum laude gerendas magis
accendit, inflammatq;? Tyrannorum
cupiditates quid magis refrenat? dū
vtrique cernunt, quę in vita patra-
rint, futurum vt mox in orbis to-
tius, imo sæculorum omnium thea-
trum omnibus spectanda producan-
tur? Nullam earum habere noticiam
rerum, quę antequam nascerere, con-
tigerunt, est semper esse puerum.
Vt præteritis etiam sæculis vixisse
videamur, sola præstat Historiarum
cognitio. Absolutum Oratorem
nemi

DVCVM BRABAN. PRAEF.

neminem dixerim, nisi & exemplis abūdauerit, & quamplurima no-
uerit. In libris historicorum, vt dixi,
omnis exempli documenta, velut in
illustri monumēto posita intuemur,
ynde quæ imitanda sint depromere,
nobisque ad imitandum proponere,
quæ fugienda, fugere possimus. Con-
sulendum est itaq; principibus, re-
gibus, imperatoribus, vt historicos le-
gant. Quæ enim non audent princi-
pibus demonstrare domestici, ea oīa
principes ipsi in libris scripta repe-
rient. Historia ad id quod honestum
est inflammat, vitia detestatur, pro-
bos extollit, improbos deprimat. His
tam multis, ac varijs vtilitatibus ad-
ductus ego conscripsi, & primus tan-
quam fati mihi seruatum in literas
misi rerum a Brabantie Ducibus ge-
starum Historiam, fortasse non tan-
ta sermonis politie, at fide optima,
Nihil

HADRIANI BARL. IN HIST.

Nihil enim vel gratiæ, vel offensæ datum est. Scio abesse ab Historico debere fœdum adsentationis crimen, & amorem ac benevolentiam, metum & similitatem. Nullus in tota est Historia locus, quem non sim paratus magna etiã sponsiõe in chronice lingua nostrate conscriptis, aut alijs certe, qui his de rebus aliquid literis mandauerint, ex fide representare. Quod si quis domesticis fidem existimet abrogandam scriptoribus, Liviũ fabulam, non historiam fecit, quem tam multi tradũt in conscribendis rebus gestis, Romanos, nõ Punicos sequutum esse annales. Quod vero ad stylum attinet meum, omnino nihil sum sollicitus. Historia vt ad suum scribit Capitonem Plinius, quoquo modo scripta delectat, ipsa ad rerum noticiã provocante natura. Sed damnabit fortas-

DVCVM BRABAN. PRAEF.

tasse me quispiam, vt nimis breuem.
Datur laudi aperta ac lucida breui-
tas. qualis apud Salustium. Alius di-
sparitatem reprehendet. Huic Liuiū
obijciam, quem modo breuem, modo
copiosum videmus. Dicit alius o-
mitti quaedam, & praeteriri. Ad Iu-
stinum prouocabo historiae scripto-
rem, prouocabo ad Suetonium, qui
Caesarum vitas ita cōscripsit, vt mul-
ta uel praetereat, vel nimis circumci-
se narret, quae copiosius dicta sunt
ab alijs. Sed nunc praefari desino.

Hanc vero historiam, hunc laborem
meum Arnolde, & Ioannes viri or-
natissimi vobis dedico. Et quia hoc
saeculo non est tutum aliquid sine pa-
trono in lucem emittere, vos mihi pa-
tronos eligo, tum quod ij estis qui
mea scripta contra eos, quibus nihil
placet nisi quod ipsi faciunt, defende-
re & possitis, & velitis. Possitis
quia

quia eruditi, et facundi. Velitis quia
fidelissimi amici, tum quod uester sin-
gularis in me amor iam dudum ex-
postulauit, vt vicissim meū erga vos
amorem declararem. Valete &
placide accipite, quæ modo de fundo
paupere dona damus.

Louanij Anno Virginei par-
tus Millesimo quingen-
tesimo trigesimo
secundo,
Postridie inuente Crucis.

HADRIA

NIBARLANDI INCLYTAE

Academiae Louaniensis Rhetoris Histo-

riarum de rebus gestis Ducum

Brabantiae, liber

Primus.



TROI A capta et incensa, nobi-
lissima ciuium manus traditur
duce Francione ad Meotin ue-
nisse paludem, nec procul ab ea
urbem condidisse, ubi ad tempora usq; Valenti-
niani Caesaris iunioris habitauerunt, a quo primū
honore aucti, & in decem annos immunitate do-
nati sunt, ob redactos in ditionem Romani no-
minis Alanos. Circumactō decennio, quum pen-
sitare uectigal recusarēt, sedibus pulsī & eiecti,
duce Marcomiro in eam Germaniae partem con-
cesserunt, quae nunc Franconia dicitur. Far amur-
dus Marcomiri filius omnium primus rex appel-
latus est, anno restitutae salutis quadringentesi-
mo uicesimo. Ab hoc procreatus Clodio, cogno-
mento Comatus. Clodioni regi successit Mero-

B

HEUS

HADRIANI BARLANDI

ueus siue filius siue alienus, uariāt enim autores.
Hic uir bello clarissimus, nec pacis artibus nobilissimus, fato cōcessit, cū annos 10. præsuisset. Hūc sequitur filius Childericus, q̄ 30. annis patri sup̄fuit. Succedit ei filius Clodoueus, quē Remorū Pont. Remigius baptismo admouit, quo tempore gens illa nondū nostra receperat sacra. Clodoueus sacro initiatus lauacro, p̄ gētilitij insignibus, tria accepit lilia, & e Clodoueo Ludouicus ei nomen factū ē. Ex Clotilde uxore filios suscepit, Childebertum, Clotarium, Clodamirum, & Theodoricum. Inter quos diuisum regnū uelut in tetrarchias est. Clotarius tandem solus Francorum rex, anno q̄ regnare ceperat cum fratribus, quinquagesimo decessit. Hic rursus in tetrarchias diuisum est Francorum regnū. Chilpericus Clotarij filius Luteciam regni arcē occupauit. Quum diu regnasset, auctus filio Clotario, quatuor post mensibus occiditur insidijs domesticis. Creditur & uxoris probro cecidisse. Clotarius demortuo patri suffectus Dagobertum genuit, quē t̄pa exceperūt multū difficilia, q̄ Clotarius postremis uitæ suæ annis curā reꝝ remiserat, quo nihil

HISTORIARVM LIBER PRI.

nihil regnis calamitosius esse potest. Dagobertus regnavit annos 16, filios relinquēs Sigibertū & Clodoveū. Sigibertus rex sine liberis obiit. Blitildis Clotarij secūdi filia, & Dagoberti soror, maritū habuit Ausbertū. Hoc stemma digerens Andreas monachus, historiæ scriptor, Ausbertus, inqt, ab Oriētali Francia, senator ex Elitilde Clotarij secundi regis filia pcreavit Arnoldum. Ab hoc Arnulphus dux natus, q̄ cū Ansigisum ducē genuisset, episcopus Mediomatricū postea ē factus. Ansigisus in matrimonio habuit Beggā, quæ fuit Pipini Perbonæ patris Austrasiæ principis, et primi ducis filia. Quidā scribūt Pipino fuisse filiū Grimoaldū ex Iduberga cōiuge, & hūc præfuisse annū unū ducatus post patris mortē. Grimoaldo fratri successisse Beggā, unde suscipitur Pipinus, cognomēto Crassus, ab auo materno in nomen opesq; adoptatus. Initio religioni deditus Phrisios prælio superavit, q̄ p̄ id tps falsorū deorū veneratores erat. quāobrem coacti sunt recipere Clementem virū sanctissimū, quem de CHRISTO & uno deo concionantem quum audissent, magna pars multitudinis Christianorū
 B 2 religio

HADRIANI BARLANDI

religionem professa est. Incidit postea Pipinus
 in scœdum adulterij crimen, quod ipsum eo scœdi
 us est habitum, quo innocentius uixerat ad id iē
 pus ipse. Spreta Plectrude coniuge Alpiadem
 colebat. In duce cum Lambertus Traiectensium
 ad Mosam episcopus reprehenderet, quod pellicē
 uxori superduxisset, ab Alpiadis fratre perimi
 tur. Quod parricidium continuo manifesta nu
 minis ira, pœnaq; atrox insequuta est. Ille enim
 erodente seipsum corpore, suppliciaq; sibi gignē
 te, uermibus toto corpore repente scaturientibus,
 intolerabili uexatus cruciatu in Mosam per fu
 rorem se præcipitem dedit. Ita apud Paulum Ae
 milium, & Sabellicum claros nostro sæculo hi
 storiae conditores legitur. Pipinus decessit anno
 septimo & uicesimo principatus sui, relinquens
 Austrasijs ducem filium suum Carolum, a uiri
 bus marijs cognomento Martellum, quem ex
 Alpiade procreauerat. Ab hoc principe uicti Sa
 xones, subacti Alemanni, & Sueui, susceptum
 Aquitanicum bellum, quo tempore Saracenis
 Galliarum fines ingressis, impiae gentis conatus
 oppressit, cæsis milibus septuaginta. His atq;

HISTORIARVM LIBER PRI.

alijs summa cum gloria rebus gestis, Martellus naturæ concessit, anno uirginei partus septingentesimo primo & quadragesimo, quum sex & uiginti annos rebus Fræcorum præfuisset. Reliquit filios quatuor Carolomanum, Pipinum Paruum, Aegidium (alij Remigium) qui postea fuit Rothomagensium archiantistes, et Griphonem. Pipinus ab obitu patris, quum opes, gloria, & triumphos animo uolueret, ei decoris quærèdi sancta obrigit materia. Saraceni clades acceptas ulturi, Franciam tertium inuaserunt. Pium hoc bellum, & pie susceptum a Pipino. Post preces & obsecrationes ad deum fusas cum egregio exercitu in hostem profectus ad tantam eos inopiam redexit, ut breui summouerit trās Pyrenæum, qua franciæ fines ingressi fuerant. Iam hominibus Chilperici ea tempestate regis, mente stupidi, uita ignaui, principatus contemptui esse ceperat. Burcharus Visiburgensium antistes Romam missus orator ad Pont. Max. Zachariam, de regno trāsferendo a Magni Clodouei stirpe, hoc argumentationem habuit, ut multa de Chilperici regis stupore, multa de Pipini uirtute, industria, religi

HADRIANI BARLANDI

one & fortibus gestis prudenter facundeq; nar-
 rarit. Oratione episcopi motus Zacharias. initio
 negavit se tanti momēti cogitationem susceptu-
 rum. Deinde uidens Franciæ primores, miro ani-
 morū consensu Pipino adesse, & Chilpericum si-
 ne prole, sine ingenio esse, nec uiuere qui eius ui-
 cem dolerēt, Chilperico regis appellationem ade-
 mit. Regni proceres conuentu habito Pipinū re-
 gem salutauerunt. Et Frācorum regnū per hunc
 maxime modum Austrasiorum genti cēssisse in-
 uenimus. Pipinus ex Bertha cōiuge relicto Ca-
 rolo, & Carolomano, fatali cōcessit necessitati,
 quum annos præfuisset 49. Carolus, fratre
 mortuo, solus omnem imperij molem sustinuit,
 & Francorum regnū, quod a patre magnū qui-
 dem & amplū acceperat, multo maximū & am-
 plissimū redidit, qđ haudquađ difficile fuit, quū
 exercitus oēs sui amantissimos haberet, qđ ado-
 lescentiæ maiore partem militiæ, & in castris,
 nō domi inter mulierculas aut aleatores egisset,
 atq; omnibus a patre Pipino gestis, ubi primum
 per annos licuit, interfuisset bellis. quædam &
 suo ipsius ductu excellenti uirtutis ac pietatis
 indole

HISTORIARVM LIBER PRI.

indole gessisset. Hic quæ re Christianâ auxit ar-
 mis, pietate, templis, Magni cognomē p̄meruit,
 dignus habitus, ut Aemilius dixit, ad quæ iura, in
 signiaq; imperij post multas ætates reuocarētur.
 Filius huic successit Ludouicus, tāta uir clemētia,
 ut inde Pij cognomē sit adeptus. Nūtio de patris
 obitu accepto ex Aqtania, ubi tū forte erat quū
 ille humanis decederet, Aquisgranū reuersus,
 oēs audiuit diuersarū gentiū legatos. Cū his nouā
 pacē sanciens, cū alijs ueterē instaurans. Duas eū
 inuenio habuisse uxores. Ex priore tres filios, ex
 altera unū sustulit, Carolū Caluū, qui patre de-
 functo ex diuisione regnorum cum fratribus suis
 Franciæ regni partem multo maximam, & Bra-
 bantiam est adeptus. Quū Germanos accepisset
 irruptionē facturos in Italiam, raptō trans Al-
 pes exercitu ut hostem arceret, Mantuæ febrī
 tentatus moritur, accepto ueneno, quod medi-
 cus in potionem miserat. In defuncti patris lo-
 cum Ludouicus Balbus succedit. qui conuocatis
 regni proceribus ita est eos alloquutus, ut fu-
 turæ moderationis spem certam præberet o-
 mnibus. Talem fuisse eum accepimus, ut inter

HADRIANI BARLANDI

principes coortas dissensiones, autoritate potius
 q̄ imperio componeret. pontifex hunc Romanus
 Franciã ingressus Augustum creauit. Nō fuit lō
 gū huius imperium, e uiuis enim excessit, quū uix
 dū biēniū regnasset. Sequitur Carolus Simplex Bal
 bi filius, q̄ ante rex fuit q̄ natus. Pater moriēs uxo
 rem gravidā, & uentri tutorē reliquerat Odonē
 Roberti Andegauenſium ducis filiū, qui cum an
 nos nouem præfuiſſet, Simplicii iam pueritiam e
 gressu cessit. Magnum huic inuidiæ flammam
 apud Francos cōflauit, quod magis se Germanis
 q̄ suis committeret, & Franci crederent in ani
 mū induxiſſe illū se & Franciam Henrico Ger
 manicæ regi subiċere, ne bello uexaretur a Ger
 manis, sed eorum auxilijs quum opus eſſet iuu
 retur. Comprehensus poſtea a ſuis in custodia
 moritur. Poſt hæc Ludouicus Simplicis filius ex
 Anglia, quo se sub recentē patris in custodia
 traditi caſum, contulerat, reuocatus eſt. Tunc
 quinquennio a domesticis externiſq; bellis Fran
 cia conqueiuit. Ludouicus moriens, liberos reli
 quit Lotarium & Carolum. Lotarius Franciæ,
 Carolus Lotaringiæ & Brabantia possessionē
 accepit

HISTORIARVM LIBER PRI.

accepit. Lotario defuncto successit filius Ludo-
 uicus, q̄ annum dumtaxat potitus est rerum, ulti-
 mus qui ex agnatione Caroli Magni regium no-
 men gesserit. Patruus eius Carolus Lotaringiæ
 & Brabantici dux, Franciæ fines ingressus ad
 ius regni capessendum, obuium cum armato mili-
 te habuit Vgonem Capetum regni francici æmu-
 lum. Pugnatur. uictus Carolus fugit in oppidum
 propinquum, quod primum hostis obsidione cin-
 xit. deinde quadam nocte Anselmi cuiuspiam
 prodicione, reſeratis portis ingressus comprehen-
 dit Carolum, cōprehensum in custodiam misit,
 ubi postea decessit. Hūc ad modū occupato Frā-
 ciæ regno, Capetus coronatur. Coronationi eius
 interesse noluit Flandriæ Comes, p̄pterea quod
 iusta per proauiam suam cognatione iungeretur
 Carolo Magno. Post captum & in perpetuam
 custodiam a Capeto missum patrem suum, Otho
 Lotaringiæ ducatum & Brabantici partem su-
 scepit. quo mortuo Henricus Noricorum dux in
 Othonis tertij defuncti locū surrogatus Cæsar,
 Lotaringiā & Brabantici partem dedit comiti
 Gotthofredo filio Gotthofredi Arduennensis.

HADRIANI BARLANDI

Eodem tempore noui etiam comitatus instituti sunt, Niuella, Louanium, Bruxella, Antuerpia nominatim. Gerbergæ Caroli, a Capeto in custodia missi filia, atq; Othonis forori data sunt. Hæc mulier nupsit Lamberto, cui Barbato cognomen, Comitis Annoniæ fratri, qui postea bellum suscepit aduersus Baldericum Leodij antistitem, in quo superior abiit, ingenti Leodiorum edita cæde, quorum in urbem suam aduecta cadauera sepiliri iussit antistes, utq; sacer locus in perpetuum maneret, hic monasterium struxit quod diui Iacobi nominaretur. Susceptum est inde bellum contra Gotthofredum Arduennensem, cui Cæsar Henricus Lotaringiam dederat, quæ res Lamberto perq̄ uidebatur iniqua. Inter duas hic acies postq̄ magnis animorum ardoribus certatum est, Lambertus ab hoste circumuentus ferro cecidit, anno salutis M. 14. funeratus Leodij in cœnobio diui Iacobi. Filius inde Henricus ex Gerberga natus, Louanij et Bruxellæ Comitatus tenuit. De rebus ab eo gestis nihil repperi. Diē suū obiit anno redēpti orbis M. 9. 46. In demortui locū fit comes, Lambertus

HISTORIARVM LIBER PRI.

bertus filius q̄ & ipse Barbatus est dictus. Hic duo instituit Canonicoꝝ collegia, unū Louanij S. Petri. Bruxellæ alterum, in mōte Archangeli Michaelis. nunc dicitur S. Gudulæ. cuius sacra ossa ex tēplo diui Gaugerici sunt hūc ad locū poſtea deportata p̄ eundem Comitē, et Gerardum Cameracensiū antistitē. Hic Lābertus apud Tornacū inimicoꝝ incurſu occiditur, anno acceptæ salutis M. 54. Reliquit filiū Henricū eius appellatiōis ſecūdū, q̄ Louanij & Bruxellæ Comes, in prælio cepit generoſum quendā uirū, cui Hermano fuit nomen. Hic apud Louaniū in Comitis domo aliquamdiu cuſtoditus, ſed libera cuſtodia, nocte quadam dormientis cubiculū ingreſſus eū occidit, & ſcelere perpetrato fugit. Succedit Hērico ſecūdo filius eiufdem nominis. In cuius tempora incidit conditio monaſteriorum Affliginiēſis, & diui Michaelis Antuerpiæ. hoc anno humanæ ſalutis M. c. xxiii. illud M. 96. ædificari ceptum eſt. Huic Henrico ex uxore Maria, quæ ſoror fuit Duriſſiæ ducis, nati ſūt filij duo, Hēricus et Gotthofredus, q̄ poſtea Barbati cognomen accepit. Henricus nati maior poſt patrem præſuit

HADRIANI BARLANDI

præfuit. Cæsus tandem & ipse apud Tornacum
in prælio, & sepultus Niuellæ. Post huius mor-
tem Gotthofredo Barbato obuenit Brabantie
ducatus ex donatione Henrici quarti imperato-
ris, posteaq̄ annos quindecim Niuellæ, Louanij,
Bruxellæ comes, & marchio sacri imperij fuis-
set. huic iam natu grandiori cognomen, ut di-
xi, Barbato fuit propterea, quod promiserat pa-
tri se non ante positurum barbam, q̄ ademptas re-
cuperasset prouincias, Lotharingiam & Brabā-
tiam. Hunc principem nobilitas uniuersa pluri-
mum dilexit, nec pauci quoq; reges ipsius ami-
citiam per legatos petiere. Nam erat & miti-
uir ingenio, & ab omni flagitio ac tyrannide
abhorrens. Consuluit suorum commodis, propria
negligens uigilabat, ut suis dormire liceret, labo-
rabat, ut sui in otio uitam agerent, benefaciebat
ingratis, etiam non intelligentibus, etiam inui-
tis. Magnum fuisse in eo pietatis & religionis
studium, indicio sunt tot locis ex eius ære con-
structa & erecta cœnobia. Louanij quoq; extra
muros Parcēse monasteriū huius est opus. Nō in-
uenio ubi obierit. Mortuus, Affliginij sepelitur.
quod

HISTORIARVM LIBER PRI.

quod cenobium inter Bruxellam & Alostium ur-
 bes uisitur, ubi est hodie fratrum pie sancteq; o-
 perantium cœtus. Barbato regnante, diem suum
 obiit quidam Ioannes a Stampis, quem p̄ errorē
 a temporibus multi uocitant, ob diurnā uitam.
 Plus trecentos sexaginta annos uixisse tradiur.
 Sub Carolo magno meruit, sub Ludouico Crasse
 filio decessit. Patri Gotthofredo suffectus
 est eiusdem nominis filius, qui cum Hērico Lim-
 burgiæ duce bellum gessit, diui Trudonis oppi-
 dum, cuius ciues ab Henrici partibus stabant, cir-
 cum sedit, ac omni telorū genere sæpius oppugna-
 tum, postremo in deditionem accepit. Gessit &
 bellum Grimberganicum, sed damno maiore q̄
 fructu. Grimbergani enim principes hic omnia
 recuperauerunt quæ Barbatus illis ademerat. In
 Chronicis quibusdam legi, per hæc tempora in
 agro Louaniensi nocte quadam melle rorasse,
 quod uerum mel fuisse a multis, uisu, gustu, &
 contrectatione iudicatum est. Secundi huius
 Gotthofredi filius & ipse patri cognominis non
 dum erat annum uitæ primum egressus, quum pa-
 ter decessit. Grimbergani principes, qui cū patre

HADRIANI BARLANDI

et itē auo huius grauius bella gesserāt, infantia dū
 cis pupilli contēnētes, rebellare ceperūt. Late ua
 status ager Brabāticus. Viluordia, quæ tūc tps,
 nō oppidū, sed pagus erat, iniectis ignibus cōfla
 grauit. Tā atroci iniuria cōmoti nobiles Braban
 tiæ cū ualidissimo exercitu hostē insequuti ad pu
 gnā euocauerunt. Priusquā dimicari ceptū est, in
 fans dux in cunis platus, et ante acie positus tra
 ditur, ut actius pugnaret Brabantī. Quū igitur
 miseratio eos infantis pueri teneret, quem si bel
 lo uicti foret, captiuum ex duce facturi uideban
 tur, ijs animis hostem sunt adorti ut magna caede
 Grimberganos fuderint. Hic inter pugnandum
 captus ē natu maior filius Grimbergani princi
 pis, in cuius postea redēpti locū datus obses iuni
 or mansit captiuus. qua de causa usq; in hodie
 nū diē in gente Grimberganica minor natu feu
 di, quod uocāt, dominus ē. Huius Gothofredi tē
 poribus nō uno loco fame laboratū est, multaq;
 pdigia hominū animos cōturbauerūt. Terra hor
 rende mota locis aliquot. Tres lunæ in cælo, ac
 totidē uisi soles. Dux Gothofredus tertio et qua
 dragesimo administratiōis anno in humanis esse
 desit.

HISTORIARVM LIBER PRI:

desijt. Corpus eius Louanij augustissimo urbis
 tēplo, qđ Bariōæ est, illatū honorifice sepelitur.
 Hēricus primus huius nominis pximi filius Got
 thofredi, anno gubernatiōis suæ secūdo euertit ar
 cē, quæ uulgo Duras nominabatur. Eādem sexto
 post anno rursus inchoatā a fundamētis magna
 sūptu absoluit. Cū Metēsi archiepiscopo Hiero
 solymā pfectus contra Turcarū gētem, Baruth
 ciuitatē opulentissimā ui cepit, & Barbaros pfi
 gauit. Nō multo post et Constātinopolis eiusdē
 ductu expugnatur. His ita pspere gestis magnā
 cōsequutus celebritatē nominis, redijt in Braban
 tiā. Congressus postea cū Florētio, id tēpis Cemi
 te Hollādiæ, & Oihone Gelrio utrūq; cepit ea
 pugna. Virūq; post cōpositam pacē generū sibi
 asciuit. susceptæ administratiōis anno 28. Ex to
 ra Erabantia milite stipēdio cōduxit, cū quo Leo
 diū pfectus urbē dies aliquot bellicis opibus ex
 tra intraq; ferociter oppugnātā, cepit. Multi mor
 tales omnis sexus, intra muros cæsi ab irato milite,
 multi nō solū natu grādes, uerū & pueri (hor
 rescere referēs) in annē præcipitati. Hinc cōuersus
 hostis ad tēplorū spoliatiōes, altaria quoq; tinxit
 ac scæ

HADRIANI BARLANDI

ac fœdauit humano sanguine ut nusquam non ex-
 tarent eius insanie uestigia. Tongrorū quoq; op-
 pidū direptū ac flammis datū, & uastatus ager.
 Sed reuertentem exercitum iusta numinis ira,
 fœlicitas prior deseruit, cum armata enim manu
 Leodiensium antistes insequutus, & acie cōgres-
 sus hostium duo milia occidit. Henricus & ipse
 periclitatus, ægre cum paucis effugit, anno
 ab humane salutis exordio M. cc. xiiii. Impera-
 tor Otho nominis huius quartus uenit Traiectū
 ad Mosam, duxitq; uxorem Henrici filiam Ma-
 riam. Gallorum regi postea bellum una cū Flan-
 driæ comite indicit. ad quod gerendum adiumen-
 to fuit Henricus. Itaq; cum ingentibus copijs e-
 gressi castra posuere non longe a Tornaco. Gal-
 lus ut uidit longe se uiribus imparem, dicitur æ-
 dem sacram ingressus, lachrymantibus oculis in
 causa iustissima diuinum implorasse auxilium.
 Sequutus inde cum robore copiarum, ad hostem
 suum pertendit. hic maximo utriq; ardore res-
 gesta, pugna aspera surgit. Sternitur omne solū
 telis, equorum strepitu & concursu terra horre-
 de mota est, innumeri hoc prælio cecidere. crude-
 lis ubiq;

HISTORIARVM LIBER PR.

lis ubiq; luctus, ubiq; pauor, & plurima mortis
 imago. Gallus ad postremū egregie uicit captis
 quatuor exercituū ducibus. Otho Imperator Flā
 driæ Comes, & Henricus fuga elapsi sunt. Nō
 multo post Brabantus & fidei hostibus iterū cæ
 sis principatum suū memorabilē reddidit. Annos
 xlviij. rerū potitus, Coloniae Agrippinae fatalē
 obiit mortē. Corpus illatū sepulchro Louanij in
 æde sacra Petro Apostolo, uisitur erectū medio
 choro monumentū. Defuncto patri succedit Hē
 ricus filius, q̄ ad Rhenum, ad Mosam, diuersa bel
 la gessit. Colonia graui obsidione fatigatā nō po
 tuit tamē expugnare. Cū cæde igitur suorū inde
 reiectus, incensis omnibus uillis ac ædificijs quæ
 circa urbē uisebatur, abiit. Cōdita sunt ab eo cœ
 nobia dominaz; siue monacharū in Banco extra
 muros oppidi Louaniēsis, & uallis ducis, Bernar
 dini ordinis, qđ amoenissimo loco futū, distat Lo
 uanio miliaribus duobus, uideturq; sumpsisse ap
 pellationē ducis a cōditore duce, q̄ uita functus ē
 Louanij, anno gubernationis Brabantiaē xxii.
 Corpus eius auectū sepelitur in Vilariēsi mona
 sterio. Vixerūt p̄ hęc tpa Albertus cognomēto
C Magnus,

HADRIANI BARLANDI

magnus Thomas Aquinas, Prædicatorū ordinis
 uiri ambo insignes. In Colonia Agrippina ille,
 hic Parisijs sacras literas p̄fessus ē. Hēricus
 tertius patri suffectus, iunxit sibi matrimonio
 Aleydam Burgundiæ ducis filiam, ex qua tres
 filios & filiam unam suscepit. Præfuit ut bonus
 rector, benignus uir ac facilis, & ad promeren-
 dā omnium gratiam natus. Pacem toto admini-
 strationis tempore coluit. Obijt diem suum anno
 principatus xiii. Vxor postea aliquādiu sanctis-
 sime res administravit, filijs nōdum pueritiæ an-
 nos supgressis. Uterq; sepultus Louanij in cœno-
 bio a se cōdito Prædicatorum, ad partem dextrā
 aræ maximæ. Aleyda quum uiueret multū di-
 lexit, & omnibus beneuolentiæ officijs p̄sequi
 ta est Thomam Aquinatem, ad quem Parisijs
 agentem frequenter scripsit, consulens eū p̄ lite-
 ras, quibus rationibus in hoc mortalitatis pelago
 cœlestem sibi patriā demereri posset. Anno ab
 obitu Henrici octauo, primores ciuitatum Ioan-
 ni, secūdo filio, principatum Brabantiaē deserūt.
 Nam Henricus natu maximus ob naturæ uitia
 quædam ad gubernandum idoneus nō erat. Qui

Joh. d.

HISORLARVM LIBER PRI.

consilium sequutus Mechliniensium principis uiri
 prudentis, uitæ dedit se monasticæ. Hinc maxima
 est orta discordia inter Louanenses et Mechliniæ
 principem. Louanij ciues iniuriã factã Henrico di
 cebãt, q̄ si parũ erat ipse idoneus ac habilis ad gu
 bernandũ, p̄ alios rege peritos uiros gubernare
 potuerit. Hæc tũ erat sententia Louanensium. Pau
 latim res eo p̄cessit, ut et portas claudere sint au
 si cũ matre Aleyda appropinquãti Ioanni. Non
 multo post in agrũ Mechlinianorum Louanenses
 excurrũt ferro, flãmaq; omnia cõculcaturi. Q̄
 ut princeps loci audiuit, confestim cũ suis egres
 sus ad pugna se expedit. Certatũ est atrociter, ac
 tandẽ inclinauit eo uictoria unde plus roboris fu
 it. Auxiliariis urbiũ aliarũ copijs adiutus Mech
 linianorum miles Louanensem fundit, fugatq;. Sic
 uicta urbs Ioannẽ recepit, et ut principem ac ducẽ
 suũ uenerata ẽ. Post hæc idem cũ multitudine ar
 mis instructa in agrũ Coloniensem profectus, ob
 sedit arcem quæ uulgo Vuoronc dicebatur. nam
 hinc quotidie sceleratorum manus excurrens, pe
 cunia negotiatores, alijsq; mercibus exuebat.
 quæ res multum incommoda fuit circumiectis

HADRIANI BARLANDI

temporijs. Ad arcendū ducē, Coloniēses ualidissi-
 mū paucis diebus cōtraxerāt exercitū, et auxilia
 ab ijs, q̄ Ioanni ex confesso aduersabatur. Iā nō
 procul aberat hostis ab arce, quū certior factus
 de eius aduētū Brabātus magno animo processit
 obuiā, suosq; breui oratione ut eo die strennuā si-
 bi nauarēt opam, hortatus, canētibus tubis in ad-
 uersam p̄currit aciē. Sequutus miles ferociter di-
 micat, p̄tractaq; in uesperū pugna, uincit tanquā
 Brabātus. Ceciderūt ex ducibus, q̄ antistiti auxi-
 lio uenerāt, Hēricus Lucenburghensiu princeps,
 fratresq; eius tres, & alij pleriq; illustres uiri.
 Antistes captus, & cū eo tota fere nobilitas. Cae-
 sis multitudinis numerus parum iniri potuit. Sa-
 tis constat multo plures ex Archiepiscopi copijs
 occubuisse. Secundū hāc uictoriā Ioannes arcem
 diruit, dirutā solo æquauit. Aliquanto post cele-
 bratæ sunt magno apparatu nuptiæ, Anglor; re-
 gis filia. Ad quas p̄fectus et Ioānes eū pulcher-
 rimo equitatu, incredibili omniū lætitia excipi-
 tur. Per eos dies (ut in publico gaudio fieri solet)
 cōcursum ē hastis, in quo certamine Dux idem
 dextro, an leuo brachio, incertū est, letale uulnus
 accepit

HISTORIARVM LIBER PRI.

accepit, ex quo paucis post diebus uita decessit.
 Cuius uulgata morte maior q̄ credi possit luctus
 totā Brabantā occupauit. Egerat enim clementē,
 piū, et beneficū principē. Defuncti corpus adue-
 ctū Bruxellā, sepelitur in æde sacra minoritano
 B, q̄ p̄ ea t̄pa uiri erāt multū Christo dediti, nō
 cōiuantes, nō scortātes, neq; miscentes se huma-
 nis negotijs. Patre mortuo Ioannes secundus *Joh. 2.*
 principatū adeptus, filiā regis Anglorū Eduardi
 primi in matrimonium accepit. Luculentū illud in
 arce Vureſi deambulatoriū huius principis ē opus.
 Per hæc t̄pa Mechliniæ ciues tumultuati sunt,
 p̄pter adeptas sibi libertates uēdendi salis. Lisæ
 fere t̄pibus est et Bruxellæ tumultuatū, sed mul-
 to q̄ Mechliniæ piculosius. Fabri, textores, suto-
 res, tabernarij, lanij, atq; omnis illa fex ciuitatis,
 eo insanicæ plapsa ē, ut quorundā primorū ædes
 diruerit, dirutas solo æquauerit. Dissidio hoc ciui-
 li cōturbatus princeps, Viluordicæ (q̄ oppidulū
 distat Bruxella nostratibus miliaribus duobus)
 se cōtinebat cū præsidio. Effusis quodā die Bru-
 xellensibus in agrū Viluordicum Dux cū pan-
 tis obuiam egressus dimicat. Vulgus illud subi-
 to ducis occurſu, uix incepto prælio in fugam

HADRIANI BARLANDI

ueritur. qua percussa Bruxellensis ciuitas dedi-
 tionem fecit. Secundus Ioannes quum præfuisset
 annos nouendecim, periit Vuræ innato uesicæ
 calculo, Bruxellæ conditus in templo Gudulæ
 uirginis. Nullus principum sic abhorruit a bel-
 lis gerendis, quæ si effugere nõ posset, maximo ta-
 mē animo gessit. Patri bono filius bonus successit
 tertius Ioannes, natus annos dūtaxat duodecim.
 Hic bellum suscepit aduersus Raynoutum Valcē
 burgensem ob affectos incommodo Traiectinos
 ad Mosam. In huius ditione obsessa urbs, quo ac-
 colæ omnes pecuniam, aliaq; bona sua ut in locū
 tutissimum deportauerāt, uenit in ducis potesta-
 tem. Breni post composita pace domum reducitur
 exercitus. Vixit hac tempestate uir ingenio &
 arte medendi eminens Ioannes Mandeuilius na-
 tione Anglus, qui toto fere terrarum orbe para-
 grato tribus eam linguis peregrinationem con-
 scripsit. Ioannis principatus uidit oppidi Mechli-
 niensis conflagrationem miserabilem. Arserūt
 insulæ complures, & domus illustrium, & quic-
 quid uisendum, ac memorabile tum habebat hæc
 ciuitas. Est inde pluribus locis pestilentia labora-
 tum,

Joh. 3

HISTORIARVM LIBER PRI.

tū, qua multa hominū milia absumpta traduntur.
 Ex humanis decessit hic princeps anno a Chri-
 sti ortu M. ccc. quinquagesimo quinto, præcida-
 daneis ferijs diui Nicolai. Nobilitas merore af-
 fecta corpus defuncti apud Vilarienses sepul-
 chro multis cū lachrymis intulit. Amiserat enim
 principē modestū, iusti tenacem, & reipublicæ
 gerendæ maxime idoneū. Hinc Brabanticæ prin-
 cipatum suscepit Guenselaus Caroli Bohemoricæ
 regis undecimi filius, q̄ tertij Ioannis filiam Io-
 annā uxorem duxerat. Quo imperante Louanij
 tumultus est exortus, quia præfectus oppidi in
 ninculis detineret quendam a senatu insontem iu-
 dicatum. Piscatorio is officio quæstum faciebat.
 Quū igitur die quodam piscium uim cōhereret,
 haud longe a Louanio hærentem forte in luto
 rhedam educere non potuit. acceptum igitur ex
 circumiacentibus pascuis equum suo adiunxit, at
 q̄ ita eduxit. Post equo dimisso, & in pascua re-
 ducto Louanium ingressus capitur a præfecto,
 obijcitur q̄ equum furto abduxisset. Multū hinc
 est ortum mali. Pars ciuium qui nouandis rebus
 studebant, sequuti præfectum cerat illi nomen

1555.

Guenselaus

HADRIANI BARLANDI

Petro Conterelio) in domū ciuicā irruētes, patrū
 primores captos in arcem, quæ loco urbis æditis
 simo uisitur ad muros, pduxere. Hinc plebeis
 magistratibus creatis, Petrus fecit p sua libidine
 omnia. adnumerata interim Guenselao Duci pe
 cunia ingēti, ut eoz quæ facta erāt, se cōsciū esse
 dissimularet. Bellū postea Guenselaus gessit cum
 Guilhelmo Iuliacensiu Marchione ob exutos pe
 cunia negotiatores Brabātos, qui p agrū Iuliacē
 sem iter fecerāt. Cōgressæ acies maximo ardore
 cōfluxerūt. Initio pugnae cōfossus Gelricæ Dux,
 ex acie deportatur mortuus. Brabantē uictores
 hoste fugato, quū nihil metuerēt amplius, cibo ac
 potu refectis corporibus somno opprimūtur. Op
 pressos ac altū dormientes, subito adortus hostis,
 interficit. Dux ipse, quū aliquādiu se strēnue de
 fendisset capitur cū plerisq; pceribus. Nūciavit
 hoc fama uxori, quæ nō dici potest quantū ex ea
 re dolorē animo cōceperit. Audiuit & Carolus
 Cæsar huius nominis iiii. fratrē suū captū esse.
 Quāobrem cōuocatis imperij principibus agere
 cepit de Guilhelmo q captū tenebat Guenselaū,
 p iuris sententiā bonis priuādo. Qua re territus
Iulian

HISTORIARVM LIBER PRI.

Iuliacensis, illum custodia dimisit, retentis adhuc
 pceribus. Hos ut redimeret princeps ingentē ex
 egit a suis pecuniā, qua impetrata et cæteris cō-
 posuis rebus, in aliquot deinde annos a bellis ge-
 uit. Superior pecuniæ exactio, causa fuit noui mo-
 tus apud Louaniū. Plebs conspirans aduersus fri-
 mores omnem mutauit regiminis formā, e suo
 corpore creatis magistratibus. In quo statu ppe
 exacto triēnio, Bruxellæ occiditur intestinae hu-
 ius discordiæ princeps, quū ad conuentū ab Duce
 indictū eo uenisset. Autor cædis fuit Ioēs Calste-
 rius uir honeste natus q metu uulgi iumultuātis
 Louanio pfugerat. Hoc igitur facto, hac cæde ac-
 censa multitudo in curiā uenit, primores numero
 xvi (ut qdā tradūt) fenestris eiectos, alij foris ma-
 nētes infestis hastis exceperere, cæteri sine uenia,
 sine misericordia, sine respectu interfecti sunt.
 Hac sæuitia merito cōmotus Guenselaus contra
 Etam subito armatam manum Louanij meni-
 nibus admouit, ut urbe capta, ciuilibus tumultus au-
 tores supplicio afficeret. Post septem uero
 hebdomodas in urbem quam expugnare non
 poterat, cum paucis admissus, facinoris prin-

HADRIANI BARLANDI

cipes in exiliū eiecit. Vnus clari nominis Ioānes
 Suarterius, qui & ipse plebē cōcitauerat, gladio
 subiectus est. Ita plebs quieuit. Sic cūctus pelagi
 cecidit fragor, ut Poeta dixit. Hinc Bruxellam
 Dux reuersus quum aliquandiu spectaculis, equo-
 rum certaminibus, uenatu, & pila, qua optime lu-
 fuisse traditur, atq; alijs lusibus se recreasset, Lu-
 cemburgum proficiscitur, ubi non multo post o-
 bit, sepultus in Oryualensi monasterio, quod il-
 lis in locis antea conditum, ipse quoq; prouēribus
 annuis ditauit. Inuenio hunc cæsum fuisse matris
 utero, quæ nec ullum inde acceperit corporis in-
 commodū. Rebus humanis exemptum uirum suū
 Ioanna uxor diu multumq; luxit, in uulnere tam
 graui dolorē haud facile positura, nisi patriæ sua
 opa et studio opus esse uidisset. Itaq; gubernādi
 onere suscepto multa prudēter, multa gnauiter e-
 git. Fato ac naturæ cōcessit, humanæ salutis āno
 M. cccc. vi. sepulta Bruxellæ in cœnobio Car-
 melitarum. Nunc uideamus qua uia & mō,
 ad Brabantiae principatum peruenerit Antoni-
 us q post obitū Ioannæ res administrauit. Ioan-
 na tertij Ioannis Brabantiae principis filia, uxor
 Ducis

1406

Antonius

HISTORIARVM LIBER PRI.

Ducis Guenselai sorore habuit Margaretã, quæ
 nupta Comiti Flandriæ Ludouico, filiam illi pe-
 perit sui nominis. Hæc unum experta matrimo-
 nium, datur postea Philippo Audaci Burgūdiæ
 principi, filio Ioannis Franciæ cognomento Bo-
 ni. Is igitur Philippus ex hac uxore filios tulit,
 Ioannem, Antonium, & Philippum. Ioanni ut-
 pote natu maximo Burgundiæ principatum re-
 liquit. Antonius, qui inter Ioannem & Philip-
 pum medius erat filius, curante id patre, suffici-
 tur in Brabatiæ ducatu magnæ materteræ suæ
 Ioannæ, quæ sine liberis defuncta erat. Hic igi-
 tur a suscepta gubernatione acerrimus extitit sce-
 lerum punitor. Si bella gereret, si cū hoste comit-
 tendum esset, uir acer fuit ac strēnuus. In milite
 ad pugnam excitando nulli secundus, hostiū nul-
 lis copijs unq̄ deterritus. præliū primus inibat, ui-
 ctis ignoscēs si ueniam petissent. Sic erat ut pos-
 set parcere subiectis, & debellare superbos. In
 omni re agenda solers, & labore infatigabilis
 erat. Anno a Christo nato M. cccc. xv. An-
 gli nescio quam belli causam aduersus Gallum
 præcedentes cum ualida manu egressi iuxta Ma-
 rinum

rinū cōfederunt. Huc et Gallorū uenit exercitus.
Pugnatū utrinq; cruento qdē Marte, sed a Gallis
multo magis. Perijt hoc congressū cū multis alijs
generosissimis uiris, Antonius Brabātiæ Dux, q
Gallorum regi auxilio uenerat. Alios in potesta
tē redactos uictor Anglus crudeliter necauit.
Antonij corpus tertio die re p̄tum inter iacentiū
cadauera, deportatur. Exceptū primo honorifice
a Tornacensiū Episcopo, inde Bruxellā delatū,
collocatur in templo Michaeli olim, nūc Gudulæ
recētiori diuæ sacro. Hic celebratis de more ex
equijs, non sine grauissimo totius aulici ordinis,
et patriæ dolore ac lachrymis Vurā aueritur, ubi
sepulturæ datū ē iuxta monumentū prioris sue
cōiugis. Antonij filius Ioannes natus maior, a
nō post, uxore accepit Iacobā, filiā comitis Han
noniæ et Hollādiæ. Fuit aliquādiu inter eos mu
tuus amor. Euenit postea discessio, cuius inuenio
causam fuisse, q̄ p̄ceres q̄ marito adhuc iuueni
præerāt, suo arbitrio mutata omni regiminis for
ma, et summotis, q̄bus ab ineūte cetate, mulier af
sueuerat pedissequis, alias illi & ignotas dedis
sent. Id factum q̄ iniquo tulerit animo, satis inde
colligi

John: q̄ dicitur
dicit Jacoby
1418.

colligi potest, q̄ sub id tempus in Angliã trañct
ens, illic uiuodũ Ioanne, Duci cuidã Gloucestriõ
nupserit fratri eius, q̄ tũ in insula regnabat. Tot
inde sunt orta dissidia, tot sequuta, uarioq; euen
tu depugnata certamina. Gloucestrius contracto
in Anglia exercitu Caletũ uenit cũ Iacoba. Oc
cupauit Hannoniã partẽ. Miles eius in Brabãti
cũ agrum tumultuose effusus, nullum fere cru
delitatis genus nõ exercuit. Pugnatiũ in Hollan
dia, pugnatiũ in Selãdia. Bello ardebant omnia.
Huius belli prælijs finẽ dedit nuntius ex urbe al
latus, Pontificẽ cum collegio patrũ declarasse,
Iacobã sine iusta cã fecisse cũ Ioãne diuortium.
Audita Põtificis Romani declaratiõẽ Gloucestri
us medio belli tẽpore in Angliã pfectus aliã du
xit uxore, Iacobã tamen Ioannes nõ recepit. po
stea q̄ supremi ordinis antistitibus uisum est ad
publicã quietẽ cõducere ut illa ad certũ tẽpus ser
uaretur apud Sabaudicẽ ducẽ cognatiũ suũ, ad quẽ
quũ nullo mō adduci posset ut iret, mãsit Schoen
houiã in Hollãdia. Annus quo hæc cõtigerũt
fuit ab orbe redẽpto M. cccc. xxi. Ioẽs tot malis
defunctus, quũ esset omnis religiõis, bonarq; ar
tũ uir amatissimus, Louanij Gymnasiũ instituit.

Fama

HADRIANI BARLANDI

fama tenet eum rogatu primorum ciuitatis hoc fecisse ne intestinis aliquot certaminibus, diminuto ciuium & artificū numero urbs in postea deserta maneret. A Martino Quinto ea tempestate Romano Pontifice anno Pontificatus eius nono impetrata sūt huic scholæ priuilegia, in qua nūc omnis generis literarū studia uigent. Philosophia et Oratoria in præcio sunt. Pulsa barbarie Hæbraice Græce ac Latine discit iuuetus. Dices quosdā in matris gremio literas cum lacte sūxisse. Vtriusq; iuris tāta est hoc loco celebritas, ut loquentem bibliothecam Iustinianus reliquisse uideri possit. Diuinæ literæ in tanto honore sunt, ut Theologorum legiones reperire queas Louanij. Cuius conditio Gymnasij in annum incidit redempti orbis M. c c c c. xxvi. Pridie natalis Mariæ ceptum est doceri. Quo tempore hæc commentabamur, numerabantur anni centum & quinq;. Ioanni ultimum operum mortalium fuit conuentus principum habitus Lyre oppidulo Brabantiae, ubi confectis rebus cū fratre suo iuniore Philippo Comite S. Pauli profectus Bruxellam uersus, pridie palmarum antequā ad locum

HISTORIARVM LIBER PRI.

ad locum destinatum puenire potuit, graui mor-
 bo implicatur. Reuersus in urbem suam nihil pri-
 us habuit q̄ accersito ad se medico animæ, de con-
 tractis per totam uitam noxijs confessionem
 facere. Inde ubi, qua par erat, ueneratiõe corpus
 ac sanguinem dominicum accepisset, mortẽ obijt
 ante diẽ resurgenti domino festũ, anno incarna-
 tiõis dominicæ M. cccc. xxvii. ætatis āno xxiiii. 1427
 administrationis undecimo. Conditorium eius
 uisitur Vuræ ante aram maximam in æde Ioan-
 ni Euangelistæ sacra. Fuit hic dux in rebus ad-
 uersis omnino forti & infractõ animo, iusti at-
 q; æqui tenax. Nemo religionis studiosior,
 nemo dei amantior, nemo affabilior, nemo clemẽ-
 tior. A deo munificus in pauperes, ut ij uno ore
 omnes Ioannem pauperum patrẽ appellauerint.
 Tẽporibus eius, anno salutis M. cccc. xxi. nocte 1421
 quã præcessit festum Eliæ abet ui tempestatis et
 aquarum uiolentia ruptis aggeribus, in Hollãdia
 pagi septuaginta duo periere. Sunt & in Phri-
 sia & Selandia euersæ domus ac uillæ. Perijt
 ingens quoq; mortalium numerus. Frustra alij lo-
 ca æditiora camporum, alij turres ac tecta pete-
 bant

HADRIANI BARLANDI

bant, Spumeus annis exiens oppositas euicit
 gurgite moles, Fertur in arua furens cumulo, cæ
 posq; per omnes Cum stabulis armenta trahit.
 Mortuo Ioanne, frater eius Philippus governa-
 tionem suscepit. Viluordicæ in Brabantia celebrè
 habuit conuentum, ubi summa cum prudentia le-
 ges quasdam a maioribus statutas, ad utilitatem
 communem suorum, retractandi auctor fuit, asc-
 uitq; sibi Cancellarium, Ioannem cognomento
 Bontium, qui uir erat grauis, prudens, & multis
 experimentis eruditus. Secundum hæc pagos, ar-
 ces, & quæ alia superiorum culpa principum ad
 priuatos deciderant, recuperare studuit. In hoc a
 singulis oppidis certa est pecuniæ summa princi-
 pi adnumerata. Ioanni Bontio adhuc uiuo (sed
 cui, ut opinor ætas & ualetudo suadebant ociu)
 Princeps Louanij in ciuica domo, præsentibus
 ciuitatum primoribus, dedit successorem Ioannè
 Gyllaynum, patria Brabantu, qui antea fuerat
 Leodij Cancellarius. Sub id tempus bello petiti
 sunt Namurcenses a Leodinis, qui transportatis
 in territorium copijs, multas arces ceperunt, captas
 solo æquarunt, ppter adēptos sibi pagos aliquot.
 Mox

Philippus

HISTORIARVM LIBER 2.

Mox & Bouinia est atrociter oppugnata. Quibus auditis Philippus, eius ditionis proximus hæres, armatos emisit, qui ex Namurco, uelut arce quadam sæpius Leodiësem agrum incurfantes, multis eam gentem affecerunt incommodis. Eratq; hic rerum status illis in locis, quem Brabatiæ princeps, nunc per literas, nunc per legatos ad pacem finitimos hortaretur, quæ quum nullis rationibus sarciri posset, mensium aliquot induciæ pactæ. Quibus manentibus sperabat se Brabantus ad æquas pacis conditiones utrosq; retracturum. Misit postea e perceribus Engelbertum Edingum, & Bouterseuium principem, cum trecentis equitibus, qui accerserent ei desponsam filiam Ludouici regis Siciliae, Iolentam nominatam inuenio. Erat ea uentura ad urbem Remensem, ubi tradita summatibus a principe missis in Brabantiam deduceretur. Sed priusquam illa uenit, Philippus graui morbo correptus, humanis decessit Louanij, quem rerum peritus esset annos tres, menses totidem. Sepultus & ipse Vuræ. Hoc gubernante Philippo tam horrenda mota & concussa est terra pluribus locis, ut unquam alias hominum memoria.

HADRIA

NI BARLANDI

Historiarum liber

Secundus.

*Philippus
bonus.*

SINE prole defunctis Antonij liberis, omne ius principatus Brabantici deuolutum est ad Philippum Ioannis Burgundiae Ducis filium. Is enim Ioannes Antonio fratri iuniori hac lege Ducatum Brabantiae cesserat, ut si uel ipse Antonius uel eius liberi sine haeredibus necessarijs decederent, ius rediret ad suum genus. Itaq; Philippus patre Ioanne Burgundo natus, ab initio administrationis, tam singulari uixit modestia, ut plurimum diligeretur ab omnibus. Vxores duxit omnino tres, ex duabus liberos non tulit. Postremo Isabela Ioannis regis Portugaliae filia peperit ei Antonium & Iodocum, quos pueros amisit, et Carolū qui patri successit in principatu, anno dominicae incarnationis M. cccc. xxxvii. Philippus Caletum Arthesiae oppidū (quod ut nunc, ita & eo tēpore Anglo parebat) ualida manu obsedit. Nul
lura

1437.

HISORIVM LIBER 2.

lū hic memorabile facinus aeditū, & anteq̄ urbs
tentari cœpta, obsidio soluta est. Angli irritati
in fines Brugenſium excurrunt populabundi ma-
gis q̄ iuſti more belli. Quos adorti Brugenſes,
fugant & prope duo milia cœdunt. Hanc uictō-
riam ſequuta eſt Brugenſium rebellio ob adēpta
priuilegia, quod facile ſublaturum eſt malum, ſi-
mul ac Philippus iuſſiſſet, ubiq; pro hoſtibus ha-
beri Brugenſes. Qui ſic rabie tandem poſita, pa-
cem petunt, quam his legibus impetraſſe dicun-
tur, ut octodecim uiris, quibus autoribus rebella-
tum fuerat, ſupplicio admotis, tota ciuitas ad unū
ferme miliarium extra urbē nudatis plantis duci
ſupplex occurreret. Quod cū ita factum eſſet,
Dux oppidum ingreſſus, haud aliter atq; numen
quoddam celo demiſſum excipitur. Non multo
poſt adfertur Lucenburgenſium principem Eli-
zabetam e uita exceſſiſſe ſine liberis. Igitur
Philippus, ad quem lege putabatur rediſſe hære-
ditas, cum ſatis numeroſo exercitu p̄fectus, irre-
quieto ductu, Lucenburgum eius regionis primā
urbem uenit, quam totos quindecim dies p̄petuo
fatigatam obſidione, tandem cepit opera Cor-
nelij

HADRIANI BARLANDI

nelij nothi sui, bellicosissimi uiri, q̄ schalis intē-
 pesta nocte admotis, muros conscendit, & captū
 oppidū patri aperuit. Eodem fere tempore Phi-
 lippus, nescio quo prætectu ingenie ab Hollan-
 dis pecuniā exegit. Qua primū negata a Gua-
 terlandis, iussu principis eo immissi armati, opu-
 lentissimos quosq; aduexerunt Hagam Comitis.
 Qua uolentia tantum pecuniæ extorium est,
 ut præter eam quæ exigentium & recipientiū
 sitim explere potuit, multum etiā superfuerit ad
 luxum ac delicias aulicorum. Et utinam a superio-
 rum principum consiliarijs omnino pestilens in-
 ductum exemplum hodie non tanto studio imita-
 rentur omnes. Sexennio post Philippus quum es-
 set animo satis infenso in Gandauenses, propter
 solutam nuper horum abitione obsidionem Ca-
 leti, grauissimis exactiōibus eos diuexare sta-
 tuit. Proinde quum nihil impetrasset eorum
 quæ petierat, armis utrinq; agi cceptum est.
 Princeps apprehendere & in custodiam ac uin-
 cula conijcere. Gandauenses, ac horum fautores
 ediuerso illi, omnes q̄ Philippi partibus fauebāt,
 indignis modis tractare sunt ausi. Est præterea
sæpius

HISTORIARVM LIBER 2.

ſæpius inter eos collatis uexillis acie decerta-
 tum, nunc his, nunc illis uictoribus. Obſeſſum
 uiribus Gandauenſium Audenardum, ſed fru-
 ſtra obſeſſum. Non multis poſt diebus, etiam
 Teneramunda ab ijs tentata, ſed infeliciter.
 Illic enim hoſtilibus oppreſſi inſidijs multi occi-
 ſi ſunt. Tandem Philippus ad expugnandas tres
 Gandauenſium arces conceſſit, quæ natura &
 opere multo erant munitiſſimæ. Captis breui
 ſpatio duabus, tertiam adoritur. Quo intelle-
 cto Gandauenſes armatos emiſere, quibus cum
 florentiſſimo exercitu, princeps improuiſus oc-
 currens, dimicat. Certamiõ fuit utriq; cruen-
 tum, ſed Philippus egregie uicit, occiſis aliquot
 Gandauenſium milibus. Hac demum clade fra-
 cti & conſternati Gandauenſes, pacem ſuppli-
 ces petunt, qua data, princeps urbem ingreſſus
 maxima cum ueneratione excipitur, Gandavi-
 ana magnificentia tractatur, ſanctiſſima fide
 dimittitur. Poſt hæc Philippus de filio ſuo
 David Episcopatu Traiectenſi inaugurando
 cogitare cœpit. Quare inſpecta Traiecteſes,
 qui Giſberto tum electo magis fauebant, cer-
 tis ar

HADRIANI BARLANDI

tis argumentis ostendere cœperūt, haud placere
 sibi quod ageret Philippus. Causabatur enim nō
 esse idoneum Burgundi filiū, quod constaret eū
 ex concubina æditum. Quibus cum Philippus
 respondisset se habere Apostolicam super ea re
 dispensationem (ut uocant) nec sic quidem pla-
 care eos potuit. Igitur fit uia ui, & armis ten-
 tari cœpta res, breui eo deducta est, ut quem
 Canonici elegerant, maximis allectus promif-
 sis, Burgundo Episcopatum cesserit. Atq; ita
 Traiecti pacatis & compositis rebus, omnes bel-
 li reliquæ in Dauentrienses conuersæ, qui noui
 Antistitis imperium aperte detrectabāt. In hos
 Philippus educta non contemptibili manu, totas
 octo hebdomodas urbem eorum frustra obsedit,
 pluuio enim cœlo dies complures lutulentus ex-
 ercitus circa paludes & fossas nihil agere insi-
 gne potuit. Interea Ioānes Dux Cliuensium ni-
 hil prætermittens eorū quæ ad pacem inter prin-
 cipem & Dauentrios componendam attinerent,
 eo rem deduxit, ut impetrata pace, nouum reci-
 perent Episcopum. Id quod haud grauate fece-
 rūt, iam incommodis longæ obsidionis edocti, in
 scitiam

HISTORIARVM LIBER 2.

scitiam esse aduersus stimulum calcitrare. Itaq; inde abductis militibus suis Philippus in Brabantiam reuertitur circa festum diem Archangelii Michaelis. Vix iam redierat, vix iam respirare cœperat a bellicis curis, atq; negotijs princeps, quum Ludouicus Dolphinus, cui cum patre Carolo septimo Galliarũ rege inimicitia erãt, nostra loca ingressus, ad eum se contulit, fretus affinitate, quæ cum illo intercedebat arctissima. Nepotem igitur desitutum favore suorum Philippus ea ueneratione, eo excepit affectu, ut facile declararit se in affinem gerere animum parentis propitiũ. Itaq; cum is egisset quinquenniũ in Comitatu Burgundi usq; ad patris obitum, cum ingenti exercitu ab illo in Gallias rediit, fratre natu minore, cui pater moriens Ludouici odio, regnum Galliarum testamento reliquerat, ultro annis ac ætati cedente, Rex inungitur. Sabellicus Antonius, qui in parte operis sui postrema rerum a Philippo gestarum commemorat, autor est, apud quosdam in suspicionem uenisse Ludouicum ueneno necati fratris iunioris. quæ quidem res illi & inuidiam confluauerit, &

HADRIANI BARLANDI

bellum pepererit, in quo tam infestum habuerit
 hostē Burgundū, quam antea senserit amicū. Fu-
 it hic Philippus, qđ non paucis incredibile uideri
 posset, pacis ac belli ex æquo studiosus, insignite
 pius, in omnes beneficus, humanus, ut superiorū
 principum nullus. In re bellica fortior ne an fe-
 licior extiterit, nescias. Moderationem & cle-
 mentiam toto administrationis tempore mirabi-
 lem exhibuit. Nouitq; iram plerūq; dissimulare
 ac uincere. Gemmarum, signorum, tabularū, &
 poculorū ex auro atq; argento studiosissimū fu-
 isse legimus, in quibus comparandis, ipsum prope
 superauit Iulium Cæsarem, ditauitq; huiusmodi
 rerum artifices, undiq; ad se accersitos. Principes
 uiros ac nobiles matronas coluit, & ab illis uicis-
 sim ipse in honore est habitus. Decessit Brugis,
 anno humane salutis M. cccc. lxxvii. ad decimū
 septimum Calendas Iulij, cum uixisset annos se-
 puaginta tres, & res administrasset triginta
 septem. Extra Diuionem in Carthusiensem mo-
 nasterio sepultus est. In paternum da-
 minatum successit Carolus eius filius, Diuione
 oppido Burgundie natus matre Isabela, quæ fi-

1467.

lia fu

HISTORIARVM LIBER 2.

lia fuit Borbonicæ Ducis. Hūc puerū optimis mo-
 ribus & liberalibus disciplinis instituendū tra-
 didit pater, ut qui in sp̄e successione tot p̄uincia-
 rū aleretur. Eoq; breui peruenit puer meditādo,
 exercendoq; ut natu grandior, latine non pes-
 sime loqueretur, & scriptores ueteres, etiā citra
 interpretē intelligeret. Quod certe adeo rarū ē,
 in principibus nostris, ut plurimū etiā placere no-
 bis, & cristas erigere possimus de qualicūq; ad-
 summas eius uirtutes accessione doctrinæ. Imbu-
 tus est & musicis, olim apud antiquos honestissi-
 mo studio, quod hodieq; suā retinet laudē apud
 quasdam nationes. Doctos uiros plurimū amauit,
 & occasione data p̄uexit, maior haud dubie futu-
 rus ingenio. Mæcenas, ni bellicis curis distri-
 ctus mentē oēm & cogitationē ad arma conuer-
 sisset. Ego in cōmentarijs rerum Hollandicarū in-
 uenio, religionē adeo curæ fuisse adhuc pene in-
 berbi, ut preces horarias, quæ canonicæ uocātur,
 legerit, nec unquam omiserit nisi multum oc-
 cupatus. His filij progressibus, in tantum est
 gauisus pater Philippus, ut sæpius dixerit, plu-
 rimum se omnium bonorum largitori Christo
 D 5 debere.

HADRIANI BARLANDI

debere, quod talem esset illius benignitate succes-
 sorem relicturus. Primam expeditionem ultro
 suscepit Carolus adhuc uiuo patre, in Ludouicū
 regem Gallorum, quē ad Montlericum magna
 praelio uicit. Is locus distat ab urbe Parisiorum,
 septem Gallicis miliaribus. Rex Ludouicus abie-
 ctis armis trepidus in arcem quādam se recepit.
 Deinde Parisios regiam urbem ingressus, plu-
 res dies intra muros se continuit. Interea ad Ca-
 rolum uictorem sæpius missi legati, qui pacem
 peterent, qui omnia uictum Regem facturum di-
 cerent, quæ uictor Carolus petuisset. Igitur his
 legibus tandem pax impetratur, ut terras omnes
 Burgundionum principi Gallus redderet, quas
 antea ui tenuisset. Carolus uictor Bruxellam re-
 uersus, ingēti patris Philippi, deinde totius gau-
 dio ciuitatis excipitur. In eo enim congressu o-
 mnia spe, uotisq; maiora contigerant, anno salu-
 tis humanæ M. cccc. lxxvi. Dionantenses (horum
 oppidum Dionantum uisitur ad Mosæ ripas)
 adiuti Leodinorum uiribus late Brabantiam, Hā-
 noniam, Namurcum scēdis populationibus deua-
 stabant, multa interim contemptim loquentes de
Philip

HISTORIARVM LIBER 2.

Philippo principe, cui per id tempus aduersa ualitudine impedito, patrios fines tueri nō licebat. Carolus igitur filius iniuriam non ferens, ex Arthesia (ubi tum erat magnis implicitus negotijs) Bruxellam redijt, atq; ibi conscripto statim exercitu, profectus in Dionantenses, eorum urbem ualide munitam cepit, captamq; subuertit. Leodinos quoq; magno armorum apparatu inuasurus, nisi uicinæ urbis euersione perterriti illi, supplices ueniam petijissent. quibus tum Carolus noxam condonauit, acceptis ab iisdem quingenta obsidibus, qui Louanium pfecti, tantisper ibi manerent quoad Philippo patri (cui fuerat illata iniuria) omni ex parte satisfactum esset.

Post summū patris diē, Carolus cū ornatisimo procerum suorum agmine Gandauum properat. Occurritur ei ab urbis primoribus, qui nouo & optatissimo principi aduentum gratulati, eundem introducunt, estq; tunc impunitas concessa plus octingentis maleficis, qui cum principe urbē sunt ingressi. Exceptus igitur omni spectaculorum genere, & uocibus undequaq; gratulantium ciuū, principatui Flādris inauguratur.

Venit

HADRIANI BARLANDI

Venit postea Louanium, primam Brabantiae urbem, ubi cum simili solennitate eius regionis principatum suscepit. Louanio Bruxellam profectus. in ea quoque urbe singulari favore excipitur. Et festo die Margaretae miro consensu ciuium in uerba noui principis iuratum est.

Duabus amissis uxoribus tertiam duxit Carolus Margaretam sororem Eduardi quarti Anglorum regis. Hae nuptiae Brugis oppido Flandriae celebratae sunt tanto apparatu, ut nihil a condito aeuo sol uiderit splendidius. Primum omnium huc in usum domus a fundamentis extructa incredibili sumptu ac celeritate, cuius parietes, coelauia, cubicula omnia, tapetibus preciosissimis con sternuntur. Triclinium in quo princeps die nuptiarum conuini adhibiturus erat nobilissimos quosque, ita magnifice ornatum est, ut caetera omnia, quamque preciosissima, nihil tamen fuerint conferenda cum his, quae ibi uisebantur. Erectus eo loco fuit abacus, in quo pulcherrima uasa omnis generis exposita uidisses. Hic erant ex auro purissimo emunctoria, candelabra, mallugia, pelues, uasa potoria, disci, salina, cenophora, paropsides,

HISTORIARVM LIBER 2.

Vox me citius defecerit, quam nomina tantum dixerim eorum quæ ad illius magnificentiam conuiuij absoluendam parata erant. Foris quoq; nihil cessatum est. Omnes uici, omnes domus, qua erat uentura sponsa pulcherrimis auleis, plateæ floribus omnifariam quos dabat anni tempus uestiebatur. Sunt & nobilissimi artifices undique accersiti ad excogitanda ea, quæ ingredientium & prætereuntium oculos detinere possent. Iam parata & magno conquesta erant plæraque omnia, cum dies appeteret nuptiarum. Brugas igitur cum trecentis plus minus equitibus princeps egressus, Dammū uenit. Huc enim non multo ante ex patrio solo appulerat sponsa. In qua urbecula celebrato nuptiali fœdere, ilico Brugas reditum. Vrbs ea, ad excipiendam regis sororem & nouam ducis coniugem, omni ornatu, celebritateq; ac magnificentia exulta cernebatur. Plausu, festisq; acclamationibus & gratulationibus, ac ludis cuncta plena erant. Nuptiarum die in triclinio, ubi cum sponsa & illustrioribus uiris discumbebat princeps, quatuordecim partim argenteis, partim aureis

HADRIANI BARLANDI

aureis nauibus, quarum singulae quatuor scaphu-
 las habebant, cibus in mensam illatus est. Omit-
 to ferculorum missus, omitto uinum odoratissi-
 mum, quod conuiuio appositum est, omitto secun-
 dae mensae lautitias omne genus. Quae omnia
 conuiuiae dum gustat, a pueris interea in Cupidi-
 num speciem figuratis, longe suauissimi ad men-
 sam adolentur odores. Nihil ad hanc magnifice-
 tiam egregius alioqui Antonij & Cleopatrae ap-
 paratus, nihil Heliogabali sexcenta strutionum
 capita una cena apposita. Quicquid de dubijs ac
 pollucibilibus loquitur cenis antiquitas, haec Bur-
 gundica inferius est. Postquam uero exempta fames
 epulis, mensaeque remotae, oculorum uaria sunt
 exhibita oblectamenta. Ex quibus prope innu-
 meris, pauca referam. Illati sunt in triclinium pa-
 uones flammiuomi, in quibus tantum artificij,
 tantum operae insumptum est, ut a ueris interno
 sci uix potuerint. Introductus est leo, cui eximia
 pulchritudine uirgo insidebat, gestans manu in-
 signia principis Caroli. Ad ostendendam ma-
 gnificentiam magis quam oblectandi gratia, illatae sunt
 argenteae turres numero triginta, quibus arces
 totidem

HISTORIARVM LIBER 2.

totidem significabantur, quarum ea tempestate
 dominus ac possessor erat Carolus. Postremo in-
 troductum est animal (Dromedarium quidam
 putant fuisse) cuius dorso impositæ sportulæ, un-
 de omnis generis euolantes auculæ, haud aliter
 cantu demulcebant omnium aures conuiuiarum, quæ
 uere nouo ramis arborum instre pitates uario co-
 centu prætereuntem detinent uiatorem. Se-
 cundum hæc, exhibiti funambuli, pantomini,
 saltationes, illustrium choreæ sceminarum,
 & quicquid præterea animi gratia potuit exco-
 gitari. Quod reliquum erat temporis ante cœ-
 nam, uarijs est lusibus impensum. Carolus autem,
 quum hæc nuptiæ fierent, annum ætatis agebat
 tricesimum quintum. Primo, secundo, ac item ter-
 tio diebus proxime insequentibus ludi sunt exhi-
 biti, & celebrati magnificentissimo apparatu in
 argumētum publicæ letitiæ, quos Georgius Ba-
 denus Episcopus Metensis, Ioannes Burgundus
 Cameracensium antistes, David Burgūdus Tra-
 iectinorum in Hollandia præsul, Guido Torna-
 censis ecclesiæ summus pastor, cum plerisque alijs
 multo nobilissimis uiris Carolo principi & spō
 se ad

HADRIANI BARLANDI

ſæ ad admirationem uſq; formoſæ aſſidentes ſpe-
 ctarunt. His celebratis nuptijs cum uniuerso p-
 pemodum flore procerum Būngundicæ, Carolus
 in Hollandiam uenit. Vbi rursus ad ſingularum
 urbium ingreſſum renouata lætitia, inſtauratis
 triumphis, & paſſim æditis magnificentia, ſplen-
 doreq; uiſendis oſtentaculis. Apud Hagam Co-
 mitis pridie feriarum diuæ Magdalene, princi-
 patui eius regionis initiatur. Sub id tempus ar-
 ma reſumentes Leodinos Carolus deleuit, de
 quorum urbis excidio memorabili Iacobus Papi-
 enſis Cardinalis Hiſtoriam ſcripſit, quam his no-
 ſtris commentarijs alio loco inferemus. Leodio
 exciſo ius dixit in omnibus ſuis prouincijs, haud
 minore ſeueritate q̄ diligentia. Non eſt paſſus ul-
 la grauiora ſcelera impune fieri. Nullus unquã
 principum in iure dicẽdo minus dedit amicitia,
 pecunia, ſanguini. Quibus rebus nimium ſolent
 quidam commoueri, neq; interim meminiffe, pri-
 mum iuſtitiaẽ eſſe munus, ius ſuum unicuiq; tribu-
 ere. Anno dominici natalis M. cccc. lxxii. men-
 ſe Ianuario ſub feſtum diem Agnetis exorta eſt
 crinita ſtella, quæ maximo horrore mortalium
 uifa

HISTORIARVM LIBER 2.

uisa, fulsit per continuos tres menses. Multa hūc cometam sequuta bella, atq; ingens hominum cædes & pestilentia, quæ pluribus locis atrociter sæuijt. Per idem fere tempus opera & studio Burgundi custodia dimissus est Arnoldus Gelriæ princeps, quem filius Adolphus septennium totum in uinculis detinuerat. Quam causam huic in parentē uiolentiæ prætenderit, non tradunt, quibus curæ fuit nostratium principum res gestas conscribere. Illud reperio Adolphum postea accersitum ad Carolū, uti de cōmunibus rebus inter se cōmentarētur. Sed quū indignus ille multa eo cōgressu se digna Caroloq; indigna loquutus esset, primū diebus aliquot seruati iussus, mox Viluordiam abducitur, inde Cortracum, ubi custodia traditus, mansit usq; ad obitum Caroli. Duplex deinde fama est quomodo accesserit Burgundo Gelriæ principatus. Quidam emisse eum scribunt a Duce Iuliacensi, q̄ tū uerus esse credebatur hæres eius terræ. Alij tradūt Arno' dū paulo anteq̄ uita decederet Adolpho filio infensum, exheredato eo, principatū cessisse Burgundionum Duci Carolo, qui

E defuncto

HADRIANI BARLANDI

defuncto iam Arnolde misit ilico ad singula pene eius regionis oppida legatos qui monerent, ut si rebus suis consultum uellent, Burgundi imperium reciperent. Quod si facere recusarent, haud dubie futurum, ut ille armis repeteret suam terram. Legatis superbe responsum, neminem esse tota Gelria qui magnopere Caroli minas pertimesceret, si acie certare uellet, non defuturos qui patriam defenderent. Hæc ubi renuntiassent legati, statim cum exercitu profectus in Gelriam Carolus, primum a Ruremundanis recipitur. Atque his initijs perterriti uicini, ultro deditione facta, in gratiam sunt accepti. Oppidum Venlo diebus aliquot obsessum est, ac nouissime, apertis principi portis, omnia sunt illi in manu tradita. Postea & Nouiomagum clarissimum Gelriae oppidum, uiginti quinque diebus uarie oppugnatum ad deditiorem compellitur. A cuius ciuibus ingenti lætitia introductus Carolus totius Gelriae principatum suscepit. Hoc loco ad se adductos mortui Arnolde ex filio nepotes, primum est osculatus, deinde e conspectu summos iussit auehi Gandauum ad uxorem suam Margare

HISORIVM LIBER 2.

garetam. Sic reperio apud quosdam. Alij dicunt pueros illos non Gandauum missos, sed una cum principe auectos esse in Brabātiā, ubi sunt plures annos honorifice habiti. Principatu Gelricæ Nouiomagi suscepto, a cæteris eius terræ oppidis Burgundus recipitur, ac postremo comitatu (ut uocāt) Sutphanicæ, solennibus etiā ceremonijs initiatur. Aestas qua subacta est Caroli armis Gelria, fuit citra omnē hominū memoriā calida, diuersis locis & homines & bruta animalia intolerandis periere caloribus. Anni huius autumno Fridericus Imperator pulcherrimo comitatu, in quo multi egregij præsules, multi insignes duces, ac illustres erāt optimates, uenit Treuiros (hæc est ciuitas ad Mosellam fluiuium sita) ut cum Garolo Burgundionum principe de multis ac uarijs rebus coram loqueretur. Carolus uero ut uenisse audiuit Imperatorem compositis in Gelria rebus, eo confestim est profectus, longe pulcherrima comitante pompa. Inuenio principi non longe distito a Treuiris obuiam itum ab Imperatore. tum urbem tubis, alijsq; id genus circūsonantibus instrumentis pariter ingressi, diebus aliquos

HADRIANI BARLANDI

aliquot una fuerunt. Interim Carolus nihil non opum, nihil non splendoris effudit, ad decorandū Imperatoris aduentum. Conuiuū, cui p̄ eos dies Imperator est a Carolo adhibitus, eiusmodi fuit, ut propemodum nuptias illas (de quibus paulo ante diximus) apparatu & magnificentia æquarit. De hoc Friderici Imperatoris, & Ducis Caroli congressu extat, & circumfertur, eximie docti niri Rodolphi Agricolæ epistola, e Gallico sermone in Latinū ab eo conuersa, quā ob eā præcipue causam hic apposui ut a pluribus legeretur. Est enim doctē admodum elegāterq; cōscripta.

ARNOLDVS DE LALAING,

præpositus diuæ Mariæ Brugē
sis, Paulo Baenst, rectori
Papiensi S. D.

Perspectum mihi fuit, summo te studio, summaq; uoluptate conuentū Imperatoris & Ducis nostri auditurū. Idcirco rem omnē q̄ potui diligentissime perquisitam, exploratāq; scripsi. Certior factus ab Imperatore Dux uelle se magnis arduisq; de rebus coram secū agere, cōpositis

HISTORIARVM LIBER 2.

positis rebus Ducatus Gelrensis, quē bello sube-
 gerat, in Lotaringiam aduenienti Imperatori est
 obuiā pfectus. Erat secum fere dimidia exerci-
 tus sui pars, quē in dicta expeditione habuerat.
 Metense oppidum est Lotaringorū clarum ijs lo-
 cis, et natura opereq; egregie munitum. Id cupie-
 bat ingredi Dux. Ciues reputātes, et armato, et
 potentiori, & inter hostem amicūq; dubio crede-
 re periculosum, quū non nisi præfinito numero
 comitum, & qbus, si uim pararet, pares se crede-
 rent, illum admissurum se dicerent, respōdit ma-
 luisse se quod cogere posset, impetrare. Esse sibi
 clauēs portarum in promptu, arma exercitumq;
 significans. Statiua habet in agro Treurenssi.
 Exercitus per uillas tectaq; uicorum sparsus,
 tres in longitudinem, in latitudinem binas con-
 tinet leugas. Tertio Calendas Octobris Impera-
 tor Treuiros uenit, comitatus filio suo, & Tur-
 chi filio. Treuirorum ciuitas ad Mosellā flumiē
 sita, sexaginta supra Mosellæ & Rheni Cōflu-
 entē milibus, & reg; gestarū magnitudine et uetu-
 state urbis (q̄ppe circa Troiana conditā tēpora
 ipsi affirmāt) præclara. Gallica olim gēs, et quæ

HADRIANI BARLANDI

diu ambitiose inter Germanicas uideri uolue-
 rit, donec tandem promotis finibus Germani, &
 occupato quicquid Galliarū ad Rhenum perti-
 net, Treuiros quoq; in imperium nomenq; suum
 adegere. Huc cum uenisse Imperatorem Dux
 accepit, ipse proficisci postridie parabat. Quem
 ubi appetere auditum est, simul ipse Imperator
 cum omni strepitu fortunæ suæ, simul Episcopus
 Treuirensis, & quicquid nobilitatis, dignitatīq;
 tota in ciuitate fuit, paulo minus leuga, obuiam
 processit. Postq; in conspectum utring; uentū est,
 Dux uenerabūsus detecto capite, equo desiliit.
 Itidem Imperator faciens, procumbentem in ge-
 nua Ducem amplexus sustulit. Dicta ergo red-
 ditaq; salute, & a duce reliquis etiam, quibus hic
 debebatur honor, saluere iussis, rursus equos in-
 scendunt. Ibant iuncto gradu Imperator atq;
 Dux, sequebantur filius Imperatoris et Turchi.
 Post hos, ut cuiq; nobilitas uel claritudo erat.
 Ingens numerus uiriq; principi, qui tubis bucci-
 nisq; præcinerent. Tributa hæc quoq; Duci ab
 Imperatore dignatio, ut Ducis ipsius primi agni-
 nis essent, soliq; canerent. Præcedebant Ducem
 pro nu

HISTORIARVM LIBER 2.

pro numero gentium, quibus imperat (caduceatores nescio, an nomenclatores dicam) Vulgus Gallorum Heraldos uocat, genus hominum Galliae, Germanisq; & reliquis ad occidentem nationibus usitatum, Italiae non perinde cognitum, genus, nobilitatem, decus principum, insigniumq; p̄ gentes familiarum nosse, ipsorum muneris habetur. Quibus maioribus nobilissima quæque domus propagata, quid in quaq; honeste, egregie, fœde, turpiter factum patratumue, ipsi præcipue uel norunt, uel nouisse creduntur. Tuti, ac uelut sacrosancti, in pace honorati, in bellis quoq; quis fœuis, intacti. Libertas ac licentia scelerate facta principum reprehendendi, minor nunc quidem, olim maxima. Ausi adire mensas regum, & resupinatum (summæ id ignominie loco habebatur) panem apponere, & lintheum, quo mēsa insternitur, medium perscindere, & alia dedecoris notandi causa facere. Sed hæc, quemadmodū pleraq; robustior in uitia posteritas, magna ex parte neglexit. Nomen tantum, & uetustæ uenerationis potius memoria, q̄ præsens autoritas remansit. Hi insignia singularum gentiū,
 E 4 nomēq;

HADRIANI BARLANDI

nomenq; præferentes, Ducē (ut diximus) præce-
 debant. Gladium Dux maiori (ut par erat) po-
 testati concedens, Imperatori submisit. Erat ui-
 dere cuncta opulentiae maiestatisq; plena. Stre-
 pebant tubæ buccinaeque, & funalia, flammam
 tesq; obiter cerei, noctem incenderant. Iam fre-
 mitus & ardor hominum, equorumq; & omnia
 ostro atq; auro fulgentia. Et hæc per tranquilli-
 tatem, tanq; exposita spectaculo notabiliora, o-
 mnium in se aures oculosq; conuerterant. Impe-
 rator uestiebatur textili auro, uestis ad pedes
 profusa, & circum collum replicata, perq; hume-
 ros more Turchorum sparsa limbo, circū pedes,
 manusq; ingentis pretij margaritis picturato.
 Ipse grandis natu, sed uirenti adhuc, atq; solida
 iuuenta. Dux autem circiter quadraginta na-
 tus annos, in ipso ætatis robore, medio rerum glo-
 riæq; cursu conspicuus, armis se totum texerat.
 Fulgebat desuper chlamys, unionibus, carbuncu-
 lis, adamantibus distincta, quam q; parcissime du-
 centoz milium scutatorū æstimauerunt. Tā mul-
 torū paupertate constat, ut unus uestiatur. Scias
 necesse sibi esse, uelut ex immenso et inexple-
 bili cu

HISTORIARVM LIBER 2.

bili cupiditate haurire, cui tantū libeat in re mo-
 dica p̄fundere. Filius Imperatoris decimum octa-
 uum agens annū, insigni facie, egregio & pro-
 etate capacissimo paternæ fortunæ ingenio, in-
 datus sanguineū intertextū argēto. Thurci filiū
 aiunt captum in bello, qđ cū Imperatore Trape-
 zuntio rex Thurcorū gessit. Romā dehinc ad
 Pontificem Max. missum esse, mox ab eo Impe-
 ratori dono datū. Amictus patrio more, ueste au-
 rea figurata erat. Crinē in nodum collegerat, si-
 cut Sarmatæ solent, toruus aspectu, prorsusq; hor-
 ror, & patria uastitas uultu apparebat. Iam
 pleriq; alij Duces, Comites atq; Principes, uiri
 magni memorandiq; si soli fuissent, nunc solum
 tantorum nominum accessio. Præcipui quoq; bo-
 nore, aut opibus, populi Treuirensis, prope
 sexcenti equites, amicti omnes rubris uestibus,
 iactantes Duci officium suum, & imminētes for-
 te metus, præuijs beneficijs occupaturi. Impe-
 rator & Dux multo, & quantum ex uultu con-
 iicere erat, benigno sermone iter emetientes,
 quum tandem per mediam urbem ad forum uen-
 tum est, longis inter se precibus, uirinq; longa
 E 5 obsequio

HADRIANI BARLANDI

obsequiorum ostentatione, uter alterum domum comitaretur, contenderunt. Concedēte uero neutro, & ambobus tantum honorem obstinate abnuentibus, ualescientes inuicem discedunt. Imperator in cedes amplas atq; magnificas in prospectu fori, Dux extra muros urbis ad sanctum Maximinum (cenobium id est diui Benedicti) diuertit Calendis Octobris. Quum prādisset, Dux iam pridem opperientem se Imperatorem domi suæ conuenit. Stabat Imperator in aula aureis sericisq; tapetibus instructa, innixus abaco, & cogitabundo similis. Utq; aduenientem Ducem cōspexit, obuiam in medium atrium progressus, humanissime salutatum, dextra apprehēdēs, in aulam perduxit. Ibi adhibito uno principali Ducis scriba, diu multumq; incertum quare de re colloquuti. Vbi satis uisum est, circumlatū ex more uinum & bellaria, discessumq;. Ibi iterum instare Imperator, uelle foras comitari Dux, abnuere uero Dux, neq; ulla id ratione pati. Tandem uictor dux, quū medias sehalas trāfisset, Imperatorem sequi parantem, propere rediens, inq; mediam reducens aulam, abscessit. Postridie

HISTORIARVM LIBER 2.

fridie Dux rursus reuifit Imperatorem, abdu-
 xitq; secum ad sanctum Maximinum, ubi diuer-
 tisse ipsum prædiximus. Induebatur Imperator
 purpura intertexta auro, Dux præter pileum,
 uestem gestabat Ducalem, filius Imperatoris da-
 mascenam uiridem uestierat. In reliquo comita-
 tu tantū texti fabrefactiq; auri, quantum uel his
 gentibus, uel hoc sæculo difficulter, nisi qui ui-
 disset, putaret fuisse. Non errauerunt forte qui
 dixerunt, peregrina luxuria patriam gloriã cõ-
 mutasse Germanos. Quis credat horum maiores
 sago, aut pellibus, quas feris detraxerant, uesti-
 tos, toties Romana arma exercitusq; fudisse, &
 quaqua uersum trans flumina, maria, mōtesq; au-
 xisse fines? Ingressi sunt conclaue quoddam Im-
 parator, unaq; Episcopus Moguntiacus, secreto-
 rum suorum intimus arbiter, & Dux cum prin-
 cipali scriba. Cœpit nomine Imperatoris Episco-
 pus dicere de re Christiana, quo loco, q̄q; diffi-
 cili in statu esset, tum Duci de maiorum suorum
 splendore, tū præcipue quoq; de sua laude rebusq;
 gestis subnectere causas, hortariq; ut opẽ ferret.
 Dignum prorsus eo uigore, eo uirium & animi
 impetu

HADRIANI BARLANDI

impetu opus, cōsulere in commune sacro Christi
 ano nomini, & una opera de Deo hominibusq;
 optime mereri. Pulcherrimum idem tutissi-
 mumque inceptum, extra fortunæ incerta, su-
 praque liuorem detractiōis positum. Quip-
 pe in quo aduersa, reprehensione, secunda ca-
 reret inuidia. In hanc sententiam cum mul-
 ta dixisset Moguntiacus, respondit Dux, cupe-
 re quo possent a pluribus, quæ pro se dicenda
 uiderentur, exaudiri, in locum amplio-
 rem se recipere. Concessum in cœnaculum quod-
 dam grande, ornatum auleis, in quibus exactissi-
 mo opere res Alexandri eius, qui Orientem
 perdomuit, erant intextæ. Huius rei præcipua
 admiratione, qui curas, studiaque sua interius
 norunt, aiunt ipsum teneri. In medio sella e-
 minentior, gradusque quibus adibat, subse-
 lia quoque instrata auro. Consedit Imperator.
 ad dexteram erant Episcopi, Moguntiacus, Tre-
 uirensis, Metensis, filius Imperatoris, Marchio
 Balearum. Post Ludouicus & Albertus Du-
 ces Bauariæ, Comites Montis Vigilantis,
 & Vvirdenbergensis, filius Thurci, & cla-
 rissime

HISTORIARVM LIBER 2.

rissimorum uirorum magnus, quantum locus capere poterat, numerus. Ex altero latere Dux Burgundiæ, Episcopi item Leodiensis, & Traiectensis, reliquaque aulicorum nobilitas. Astabat proxime Ducem scriba amictus purpura uillosa, uir (ut apud Gallos) eloquens & promptior quam facundior. Is Latine orsus dicere, primum orationem Moguntiaci recensuit, tum de Rege Francorum, beneficia Philippi patris in ipsum, meritaque, ex qua exul paternam fugiens iram, hospitio ab eo exceptus sit, hinc ut opera sua reductus in regnum, post hæc cepta compositaque bella, & quæ alia ad hanc rem pertinebant, multis uerbis commemorabat. Tum de Principe Aquitanicæ subiecit, diligentissime omnia explicans. Postremo ad postulata respondit, dolere Principem suum communem uicem Christianorum, & recenti memoria acceptas ciades, se si quem alium grauissime ferre. Quamquam autem ipse id sibi nõ sumeret in ea regum principumque magnitudine, & opibus, ut si eum esse putaret, quod uel auxilio uires firmare posset aliorum, uel autoritate

HADRIANI BARLANDI

ritate commouere mentes deberet, si tamen tuti
 populi sui, saluæ res permittatur, effecturum se,
 ut nemo in ipso quicq̃ præter successus, felicita-
 temq; desyderet, intelligantq; omnes ad hâc rem
 nec uiro sibi animos, nec principi opes, nec Chri-
 stiano religionem defuisse. Facto dicendi fine,
 Dux Imperatorem ad ædes suas usq; reduxit.
 Dux Aquitaniæ, de quo supra mentio, frater re-
 gis erat inuisus sibi atq; infensus. Huius causa q̃
 rex prope pro exhærede ipsum habebat, susce-
 ptum inter ducem Burgundiæ, & regem bellū
 iactabatur. Postea uero q̃ Dux uictum in acie
 regem, & obsidione Parisijs pressum ad conditi-
 ones accipiendas coegit, maiora diuersioraq; q̃ p̃
 hoc incepto uictoriæ præmia recepit, ut crede-
 rent qui malignius interpretabatur, cuicumq; cu-
 piditati suæ speciosum hunc titulum circundedis-
 se. Ipse frater autem proximis annis miseranda
 peste cōsumptus, mortem obiit. Aegrotabat gra-
 uiter & morbi ignoto genere, decidere ungues,
 capilliq; defluere, ut suspitionem preberet hau-
 sti ueneni. Et ut est uulgus, ad optima facienda
 tardum, ad dicenda pessima promptissimum, in-
 gensq;

HISTORIARVM LIBER 2.

gensq; libido de maximo quoq; turpissime aesti-
 mandi, autorem necis eum uideri uoluerunt, cui
 fuerat, dum uixit, inuisus, & ad quem mortis
 præmia redibant. Paucos post dies oratus a Du-
 ce Imperator, secum pransus est. Conuiuium ma-
 ximo apparatu magnificentiaq; instructū erat,
 ut propemodum nuptijs suis, quarum fere per
 omnem Galliam Germaniamq; celebratur fa-
 ma, exæquaretur. Hactenus epistola, & si qua
 uisum est mihi rerum cognoscendarum adijcere
 causa. Reliqua ex his qui affuere. Agebatur ut
 filio Imperatoris in matrimonium Ducis filia lo-
 caretur, nec satis conuenit. Hactenus Imperator
 procuratorem, seu (ut ipsi dicunt) uicarium Impe-
 rij Ducem, perinde ut ipse poscebat, creare pa-
 ratus erat, si mō Dux antea nuptias firmasset.
 Dux contra procurationem præsumere uelut ex
 tuto uolebat, deinde de nuptijs communi se sen-
 tentia statuturos. Procurationis huius hoc aiunt
 esse munus debere, adnissurum Ducem studio ui-
 ribusq; quantum posset, omnia quæ usquam im-
 perio ablata sunt, ad priscam Romani Principa-
 tus maiestatem rursus redigere. Ingens materia

HADRIANI BARLANDI

Et audenti, *Et* prospero, *Et* ad quoduis audax
 ceptum in speciem abunde multum iuris. Præte-
 rea alia quædam petisse ab Imperatore dicitur,
 quorum nihil neq; negatum, neq; tamen satis p-
 nis auribus auditum. Spectacula quotidie, atq; lu-
 di, equorum concertatio, hastatorum concursus, si-
 mulachra pugnarum, *Et* in certamen opulentia,
 fortunarumq; fulgor ostentatus. Maior Impera-
 tori clarorum uirorum numerus atq; nobilitas,
 apparatus splendoreq; rerum Dux effusior. Eaq-
 dem audiui, qui affirmaret æmulatione inter
 ipsos agi. Et utrumq; oblitum mensuræ suæ, illi
 qd̄ inuidere minori, hūc uero continere maiore.
 Hoc modo se habet Rodolphi epistola.

Reuersus ab imperatore Carolus, Meckliniæ
 curiam instituit, qua non erat alia in orbe Chri-
 stiano celebrior futura, si feliciter inchoatum a
 Carolo consilium insequentes Duces pari cura
 fouere, ornare, atq; ampliare studuissent. Hæc
 curia prælata cæteris, constituta erat causarum
 omnis generis iusta ac legitima disceptatrix, om-
 nini adempta prouocandi potestate litigantibus.

Cōsili

HISTORIARVM LIBER 2.

Cōsiliarij numerum trigesimum explebāt, oēs uiri docti, p̄spicaces, circumsp̄cti, acri iudicio, iusti et sobrij. Dixisses Areopagitarū cōsiliū illud esse. Ea grauitate, doctrina, prudentiaq; lites dirimebāt. Ad locum audiēdis cōtrouersijs destinatū equites ibant, aliter nō licebat. Curiam ingressis, paratū erat sacrū. In hoc precabatur sacerdos, uti optimus Deus eiusmodi suis mentem daret, ut eo die consilio prodesse alijs & possent, & uellēt. Sacro factō, locum tractandis Reip. negotijs cōstitutum ingrediebantur. Vnde post horas aliquot sub meridiem egressos eos excipiebat iterum sacrificus alterum facturū sacrum, in quo Deum precaretur, ut eius diei consilia commode esse uellet Reipublicæ. Ad hæc honoris ademptionem his fuerat interminatus Carolus, si quid per secordiam præterijssent, quod ad Reipublicæ commodum pertinere uideretur. Adeo nihil hic princeps, nisi de publico cogitabat.

Per id tempus Rupertus Coloniensium Antistes, multum est apud Carolum Burgundum cognatum suum quæstus, magno conatu obstare Colonienses, & oppida circum-

HADRIANI BARLANDI

iecta, quo minus ipse debitos sibi annuos proventus ex locis illis reciperet. Quo audio Burgundus, ut Ruperto præter cognationis uinculum, etiam charissimo subueniret, conscripto ingenti equitum ac peditum exercitu, fines ditionis suæ egressus, ad bellum Colonienfibus, & finitimis inferendum properat. Nouesium Colonienfis agri oppidum medijs Iulij caloribus obsideri cœptum est. Aduexerat secum princeps immensæ molis bombardas, quibus non uno loco disiecta murorum parte multum & urbis ædificijs damni illatum, & magna incolarum facta strages. Lego urbem multa ui oppugnatam, aliquantotum etiam maiore præsidio a ciuibus defensam. Erat præsidij præfectus Hermannus quidam comitis Hassiæ frater, cuius uirtute oppidum inter maximos terrores incolume mansit. Nam ut cætera obsidionis mala præteream, ab his etiam quæ intus erant fame ac rerum omnium tanta inopia laboratum est, ut equi, instrumenta militiæ, pluribus in uictum fuerint. Apud quosdã inuenio, paucis diebus in alimoniam ciuium absumptos cccc. equos. Hic nihil dico de prælijs, quæ durant
te ob

HISORiarVM LIBER 2.

te obsidione inter obsessos & Burgundum fue-
 re. Ex multis enim dūtaxat insignia confector.
 Assidebant nostri homines Nouesio, quo tem-
 pore Imperator Agrippinam uenit, ut cum Bur-
 gūdo, a quo & Germanis uastitatem inferri a-
 nimo ferebat iniquissimo, uel confligetet, uel ob-
 sidione Nouesium liberaret. Hoc audito Caro-
 lus, tantum absuit, ut fugam circumspexerit, aut
 de soluenda obsidione cogitarit, ut certaminis a-
 uidus instructos suos etiam produxerit. Verum
 continuit se intra septa Fridericus Imperator,
 uel non ausus dimicare, uel quia speraret futu-
 rum, ut Imperatoris aduentu perterritus Burgū-
 dus, inde subito discederet. Quū nihil tale post
 dies aliquot euenisset, uidereturq; Dux in
 incepto bello perseveraturus, est inter eum ac
 Imperatoriū militem satis atrociter pugnatum.
 Vicitq; Burgundus tanto gloria maiore, quanto
 bellicosiore fuderat hostem. Et hanc uictoriā
 potius uirtuti, quam fortunæ debuit. Nam &
 aciem peritissime instruxerat & promptissime
 omnes pugnauerant. Non est post eum diem
 Romanus princeps ausus cum Carolo manum cō-
 ferere.

HADRIANI BARLANDI

serere. Itaq; de pace agi cœptum per summi Pontificis legatum Alexandrum Antistitem Forolâ uensem, qui noctes diesq; principes hortari, ut arma exuerent, Burgundus Nouesio discederet, quoad de re maturius cognosceretur, essetq; Pon. Maximii ea cognitio. His utriq; acceptis, pax sancita est, quam excepit Gallicum bellū. Nam Ludouicus rex Gallorum Arthesiam & Picardiam cum paratissimis copijs ingressus, plurima Caroli oppida ui capta, diripuit. Quo successu elatus, de Atrabato etiam oppugnando cogitauit. Sed huc tempestiue missum præsidium, Galli conatus irritos fecit. Prius tamen q̄ Ludouicus ex his locis militem abduceret, pugnatum lego inter eum ac duces, quos miserat Carolus ad tuendū Atrebatū. Vicit Gallus, q̄ ut erat numero militū superior, ita cū lōgius abesset Carolus, multo etiā plus animi secū attulerat. Sub hęc pugnam, ab Nouesij longa obsidē, domū reuerso Carolo nuntiatum Calerum appulisse Eduardū Anglorum regem, cui tam laboriosi illius itineris causa fuit, ut cum Carolo, qui rursus ingentem contraxerat exercitum, suas copias iungeret.

Ita

HISTORIARVM LIBER 2.

Ita enim prius inter eos conuenerat. Vna igitur Galliam ingressi, tantum terroris Ludouico incusserunt, ut is repente cōuocatis regni primobus, eos ueluti in re trepida anxius consuluerit, quo pacto infestissimo hosti resistendū esset. Placuitq; tum legatos mitti, qui pacem peterent. Auditi legati, nō pacem, sed nouem annorū inducias impetrarūt. Hic tā insperatus rei exitus, ut incredibili Gallū lætitia affecit, ita Angloꝝ principes male habuit, qbus immodica uastādæ Galliæ cupiditas incesserat. Eduardus xi. hebdomas in Caroli prouincijs cōmoratus, ad suos transmisit mēse Septembri, quo tpe & Carolus Namurcū uenit, unde cū ingenti militū numero ante exitū eius mensis in Lotaringiam, ob fœdera sibi non seruata, p̄fectus, impetu primo urbeculas aliquot ui cepit, captas præsidio muniuit. Quo successū ducis p̄territus Renatus eius terræ princeps, annos natus circiter uiginti, cū aliquot nobilioribus uiris in Galliā fugit, ne uiuus in hostiū potestate ueniret. Fuga principis adeo fracti sunt omniū animi, ut effusus Caroli exercitus, paucis diebus loca plurima occuparit. nouissime obsessū Nantiū

HADRIANI BARLANDE

longe munitissimum oppidū, duravit obsidio illa
 nouem septimanas, urbs interea multum stren-
 nue defensa, tandem fame domatur. Itaq; facta
 deditione, ciues uita donati, præter duos tres-
 ue, qui ultimo sunt affecti supplicio. Animaduer-
 sionis huius causa non traditur a scriptoribus.
 Urbem deditam Carolus præsidio firmauit, atq;
 inde digressus, totam Lotaringiam breui ad obse-
 quium redegit. Subactis Lotaringis non diu in
 otio fuit Carolus, sed bellicam gloriam augendi
 cupidior, transtulit inde bellum in Heluetios, &
 hi populi non multo ante Sabaudiam (ubi præ-
 rat neptis eius) tumultuose ingressi omnia terro-
 ris & prædæ compleuerant. Itaq; primum sunt
 missi ab Heluetijs legati, quos princeps Carolus
 uix auditos iussit confestim abscedere, atq; ipse
 eodem tempore sequutus, in urbe Gransonia, quæ
 nonnulli dicunt ab eo tum expugnata, plures
 Heluetios in crucem sustulit. Quo factò comota
 & irritata gens pugnacior, contracto exercitu
 hostem Burgundum adoritur certa spe aut oc-
 cidendi aut fugandi. Heluetiorum impetu degra-
 uatus Caroli miles, primum auertitur, inde fusus
 fuga-

HISTORIARVM LIBER 2.

fugatusq; multa cum cæde dissipatur. Fuisset in eo prælio captus princeps, nisi relictis suis locis cessisset, fugienti similis. Sunt qui scribant hic periisse opes Caroli Ducis. Tantum uasorum aureorum argenteorumque, ac uestium omnis generis ab hoste deportatum, amissus & omnis bellicus apparatus. Exprimi uerbis non potest, quantum ex hac inimicæ gentis uictoria dolorem animo conceperit uictus Burgundio, qui uincere semper antea consueuerat. Vir alto spiritu, ac nimium quietis impatiens, neq; die, neq; noctu somnum capere potuit. Itaq; reparatio exercitu, iterum Heluetios adoritur, cum quibus infelicissime nuper dimicauerat. Hic quoq; uicit ac superior fuit Heluetius, quippe qui numero militum præstabat. Pars multo maxima Burgundionum aut capta aut cæsa. Nullus fere clari nominis fuit ex nostris, qui non illic ceciderit præter ipsum ducem, qui re perditâ ac profugata cum paucis fugæ comitibus, fuga seruatus est. Ioanni Baptistæ sacer dies fuit, quo Heluetij & Burgundiones tanta animorum pertinacia conflixerunt. Qui huic proximus illuxit, facile declarauit,

HADRIANI BARLANDI

¶ tetra sit ibi loci ædita cædes, numerata enim
 sunt a quibusdã xvi. M. occisorum. Hac clade
 suorũ cõsternatus Carolus in maximũ luctũ &
 mcerorẽ incidit, nunc secũ reputans, quantũ ho-
 minũ pximis duobus prælijs, sua temeritate Or-
 co demississet, nũc existimans nihil esse turpius,
 q̃ uinci eum ducẽ, qui toties ipse fortissimos po-
 pulos ad obsequium redegisset. Caroli malis, &
 tam nobili Heluetiorum uictoria erecti plures
 populi consociatis uiribus, ut unum hominem
 extinguant, ad arma concurrunt, ac ductu Rena-
 ti principis Lotaringiæ, Nantium, ubi a Caro-
 lo præsiðiũ fuerat relictum obsidione cingunt,
 nec multis interpositis diebus idem oppidum pri-
 us expugnant, quam Burgundus eo cum suis
 copijs accurrere potuit. Expectabat enim ex
 Brabantia, & finitimis locis nouum exerci-
 tum, quo accepto properans in Lotaringiam,
 Nantium iterum obsedit. His locis ab hoste (q̃
 minime futurum uerebatur) circumclusus, tan-
 ta rerum omnium inopia laborauit, ut in eius ex-
 exercitu plures fame sint extincti. Itaque indi-
 gnantium militum uoces passim exauditæ, sati-
 us suis

HISTORIARVM LIBER 2.

us fuisse dictitantium, in patria manere, ubi
 coniugibus suis, ac liberis assidentes, nulla in-
 terim neque cibi, neque potus inopia premeren-
 tur. Abductos se in ea loca quibus aut procul
 a patriæ conspectu moriendum sit, aut quod mor-
 te miserius est ac tristius, in seruitute uiuendū.
 Hæ militum querelæ nō dubū est, quin princi-
 pem suorum amantiſſimum ualde commouerint.
 Verum in eo statu res erat, ut mederi tātis malis
 non posset. Lotaringus haud multo post ad
 pugnam euocat Burgundum, qui una parte co-
 piarum in obsidione relicta, statim uenit ad lo-
 cum certamini cōstitutū, acie dimicaturus cū pau-
 cis aduersus tam multos. Hic suos pterritos horta-
 tus dicitur, ut alacres irent et gl' iam a maioribus
 acceptā, posteris relinquerēt. Adeo non esse for-
 midādū hostē Heluetiū, q̄ paucioribus Burgūdis,
 haud sua uirtute bis feliciter ātea dimicasset. Nu-
 mero militū uincere Heluetiū, sed nō raro modi-
 cis copijs, præpotētes fusos esse exercitus. In hęc
 sententiā ubi pauca nequicq̄ dixisset, canentibus
 tubis Renati miles cum tanto fremitu & cla-
 more in hostē procurrit, ut statim turbatum eum

HADRIANI BARLANDI

loco summonerit. Neq; difficile admodum erat.
 pugnabant enim cum recentibus & integris, de-
 biles ac macie confecti. Primum igitur facta fu-
 ga, deinde innumeri caesi ac primo impetu ob-
 triti ex nostris. Quis tam beata rerum ac uerbo-
 rum copia instructus, ut cladem eius diei multi-
 plicem, deuictorum foedissimam fugam, eadem
 nunc singulorum, nunc uniuersorum merito de-
 ploret? Vidisses alios qua breuissima patebat uia
 trepidos fugere, alios per praecipitia nunc saxis
 aspera, nunc obducta sentibus loca petere, quae
 hostibus ignota putarent. Fatigata, siti propemo-
 dum enecta & saucia passim corpora iacebant.
 E. proximis uero locis uirorum clamor, & fe-
 minarum ululatus audiebantur. Hac pugna Ca-
 rolus ipse, qui eo die & saepe alias, maiore a-
 nimo q̄ consilio dimicauerat, tribus plagis media
 iacentium strage confossus interiit, pridie Epi-
 phaniae. Hic finis fuit principis omnium, qui
 ea tempestate fuerunt, bellicosissimi. Annus ille
 quo Dux tam nobilis apud Nantium caesus est,
 fuit humanae salutis M. cccc. lxxvi. Ab illa pu-
 gna exacto iam triduo, Caroli corpus certissi-
mis sit

HISTORIARVM LIBER 2.

mis signis agnitū sepelitur Nantij in æde sancti
 Georgij. Quum sepeliretur, intuentibus qui ex
 clade illa supererant obortæ lachrymæ. nō erāt
 enim ignari qualem patria ducem amisisset. Ob
 uersabatur oculis multa uiri uirtus, hærebatq; fi
 xus in pectoribus astantium, uultus militem in
 prælium educētis. Occurrebat quo animo urbes
 oppugnare, muros conscendere, hostem loco sum
 mouere consueuisset. Cæterum proximo septen
 nio quod est uiri cædem insequutum, omnibus
 locis multus & uarius de illo est iactatus sermo,
 affirmantibus quibusdam uiuere eum Bruxel
 læ oppidulo Sueuiæ. Alijs contradicentibus,
 non interemptum apud Nantium, sed captum &
 abductum in Gallias. Ibi in conspectu regis Lu
 douici gladio ad mortem perijisse. Spes de Caroli ui
 ta, quæ postea uanissima comperta est, in causa
 fuit, ut paucissimis locis celebratæ sint eius exe
 quie. Filiam reliquit hæredem Mariã,
 excellenti forma uirginem. Quæ suscepta illi
 ex Isabela coniuge, nupsit postea Friderici Im
 peratoris filio Maximiliano. Ultima uxor Mar
 garetæ defuncto marito pluribus annis supuixit,
 certe

HADRIANI BARLANDI

certe multorū bono. Suis enim facultatibus inter-
 tim præclara fouit ingenia, studuitq. modis omni-
 bus partim culpa t̄p̄um, partim principū negligē-
 tia ac uitio iacentes literas, præcipue sacras exci-
 tare. Nulli unq̄ attribuit sacerdotiū, nisi prius et
 eruditionem, & uitam inspexisset. Quod utinā
 etiam hodie facerēt principes, nō tā multos pas-
 sum uideremus idiotas in ecclesia dei, quos fortas-
 se præstaret defricādis principū matulis, q̄ homi-
 nū cōscientijs præesse. Mechliniæ sepulta est fœ-
 mina hæc nobilissima, in cœnobio minoritanorū.
 Ex qua Carolus nihil liberorum tulit. Vnde mi-
 ror, quidnā Raphaeli Volaterrano in mentē ue-
 nire potuerit, ut referret in literas Mariam (de
 qua diximus) huius filiam Margaretae fuisse.
 Non debuit, meo iudicio, uir tantus, & is Ita-
 lus, in rebus nostratibus conscribendis, potius ho-
 minū sermonibus, q̄ libris credere. Hactenus de
 rebus gestis Caroli ducis. Nūc summam expo-
 nā quæ de ingenio et moribus eius habeo cōpta.

Prælia multa sic assumpsit, ut militē iusserit
 acceptis armis in hostem ire pluuio interdū cœ-
 lo, & grauissimis tempestatibus, quū minime e-
 ducta

HISTORIARVM LIBER 2.

ducturus putaretur. Et quod mirum uideri potest, nec
 puectior quidem ad cōserēdas cū hoste manus cum
 Etator factus ē. Quo sæpius uictor abiisset, hoc
 magis incertum pugnae euentū expiundū opina
 batur. Nullo unquam praelio uicit, quo non statim sit
 fugientē hostē insequutus. Adeo nihil spatij da
 tū ab eo pterritis. Inter milites, neque morū, neque
 fortunarum, sed uirium respectu, alium alij præ
 ferebat. Et erat in his tractandis, nunc seuerus,
 nunc facilis. Haud enim omni loco ac tempore,
 sed quum non procul abesset hostis, coercere
 suos et comprimere solebat. Ita factum, ut
 nuntiatio in praelium exeundi tempore sem
 per eos et paratos et intentos haberet. De
 sertorem ac furacem militem acerrime pu
 niebat, cætera plerumque dissimulans. Quen
 dam patibulo suffixit, qui aniculæ gallinam
 subtraxerat. Amabat etiam suos usque adeo,
 ut nullo non beneuolentiæ officio prosequere
 tur. Aduersa uale tudine laborantes, et saucios
 medicis committebat fidelissimis. In hoc Cæsa
 rem illum dictatorem, aut Africanum Scipio
 nem, aut Metellum præclarum ducem referebat,

HADRIANI BARLANDI

q̄ in suo exercitu nihil eorum passus est esse, qui
 bus corrupti, & effœminati militum animi a stu-
 dio rei militaris auerterentur. Aberant enim a-
 dipata obsonia & bellaria. Exulabat commessa-
 tio, exulabant reliqua omnia ad luxuriam perti-
 nentia. Vulgari cibo contenti, procul a fame ser-
 uabantur, adq; obeunda militaria officia hoc pa-
 cto expeditiores ibant. Carolus rebus gerendis
 natus, iam inde ab obitu patris sui Philippi, tantũ
 se præbuit Alexandri Magni æmulum, ut pene
 ille ipse sit factus. Nihil audire libentius, nihil
 maiore animi uoluptate solebat legere, q̄ auto-
 res, qui de Alexandro quippiam scripsissent. Vn-
 de factum, ut omnia illius egregia & laudabilia
 facinora, memoriæ mandauerit, & oblata occa-
 sione, nusquam non studuerit imitari. Vnũ erat,
 in quo merito culpari potuit, præcipitatũ cõsiliũ.
 Nam & bella quædam suscepit, nullo prudentiũ
 uirorum (quos secum habebat) in consilium adhi-
 bito. Hunc tam præcipiti, ac præferoci consi-
 lio uirum, in castris Hannibalem, in conficien-
 dis itineribus Iulium, aut Alexandrum quædam
 dixisses. Algoris enim & æstus iuxta patiens
 fuit.

HISTORIARVM LIBER 27

fuit. Tot illi frigidae hyemes, ac torridae sub pelli-
bus aetate aestates. Itinera uero tanta celeritate com-
fecit, ut saepius de suo aduentu praemissis nun-
tus anteuenterit, saepius hostem de improprio op-
presserit. Talis fuit Carolus. Nunc ponemus ex-
cidij Leodiensis historiam, nobis reperia in com-
mentarijs Iacobi Cardinalis Papiensis, qui uir
quo tempore Romanam ecclesiam gubernabat
Pius secundus Pontifex, in Latio & caetera Ita-
lia clarum nomen adeptus est. Ordo gestae rei
sic habet.

Dum in hoc statu res Italiae age-
rent, lachrymabilis interim nuntius Romam ad-
fertur, quo animi omnium non mediocriter sunt
contristati. Significatum est enim ciuitatem Le-
odiensem magnitudine, atque opibus claram, quae
in omni casu ecclesiae, fidem Romanae sedis erat
sequuta, ferro, atque igni ad internecionem deleta,
nulla aetatis, sexus, uel sacrorum habita ratione.
Eam uero cladem unico Caroli Burgundorum Du-
cis, & Ludouici Gallorum regis impetu irroga-
tam, qui ad tantum facinus animos & arma iun-
xissent. Eam ego non ab re censui quarto huic li-
bro mandandam, quo nostris Pontificibus esse
doctum

HADRIANI BARLANDI

documento possit, quantum sæculi principibus
 oporteat credi, quantumq; adhiberi curæ cõueniat,
 ne ij pastores plebibus dentur, quorum uel æta-
 te, uel ambitione pro pane lapis, & pro ouo scor-
 pius, iuxta uerbum domini, offeratur. Igitur se-
 dēte nuper Calisto tertio petebat Philippus Ca-
 roli pater, ut Ludouicus, qui in Borboniorum fa-
 milia genitus erat ex filia, Leodiensi præficeretur
 ecclesiæ. Quam Ioannes annorum iam mul-
 torum præsul, missis ad Pontificem documentis
 parabat dimittere. Sed ea res cum propter iuue-
 nilem ætatem, quæ uigesimum nondum annum
 attigerat, Pontificijs legibus esset contraria, Ca-
 listo parum, & patribus probabatur, uidebantur
 q; uno consilio omnes non assensuri, nisi maio-
 res causæ ad impetrandam rem adferrentur.
 Erat eodem tempore præcipuum Pontifici stu-
 dium parādæ classis in Turchos, quæ ad redimē-
 dam Constantinopolim duceretur. Miseratq; p-
 pterea in oēm Italiæ partem sacerdotes, questio-
 nibusq; peccatorum, cuiusquemodi subsidia com-
 pararent. Ad ripam quoq; Tyberis Vaticano p-
iman

HISTORIARVM LIBER 2.

ximam comportari materiam & iritemes fabri-
 cari sine intermissione curabat, nulla de re alia
 uel loquens gratius, uel audiens. Id uero studi-
 um quum ad Philippum significationibus multis
 esset perlatum, senili & ipse obsequens animo,
 quod iure de Ludouico negatum erat, promissis
 artificiosis aggreditur. Spondet, si impleatur quod
 cupit, missurum se terra, & mari grandia ad cō-
 ceptum opus subsidia, quæ & facilia sibi futura
 essent, & magnopere conatū Ecclesiæ adiutura.
 Totam hanc sponsonem ea dictorum scripto-
 rumq; constantia firmat, ut nil minus iam puta-
 retur, quam non facturum illū quod tam assue-
 ranter aiebat. Credidit senex Calistus, primus
 explendo desyderio intentus, mox etiā in ean-
 dē sententiā traductis patribus, Philippo ē obse-
 cutus, ciuitatisq; tā populosæ administrationē in-
 ueni credidit, munerū Ecclesiæ omnino experti,
 æstimās annorū paucorum iacturā emolumenta
 tanti boni cōpensari æquo animo posse. Sed acci-
 dit diuino iudicio, ut malo inchoata initio, calami-
 tosum mox exitū caperēt. Nā neq; tātā pmissio-
 nū fructus pceptus est, et fundamēta sunt posita

HADRIANI BARLANDI

totius quæ superinducta est cladis. Hunc ergo
 pastore plebs illa, & si longe inferiorem priore
 suo annis meritisq; uidebat, gratiam tamen ma-
 gni Ducis secuta acquieuerat factò, speràs mox
 ut per ætatem licuisset, sumpturum sacra Ludou-
 cum, atq; eorum Antistitem pleno ciuitatis im-
 perio præfuturum. Aliquandiu igitur in hunc
 modum sine dissentione processit res. Cum ta-
 men Ludouicus fortuna suorum elatior, Leodien-
 sum legibus, quas ante eum seruarant cæteri, ad-
 uersaretur sæpe, & ab ecclesia errans, lasciui-
 rem uitam tanto indignam sacerdotio ageret.
 Procedentibus annis idoneus iam ad consecratio-
 nem factus, ad eam peragendam, celebrandamq;
 unanimi omnium uoluntate est postulatus. Quod
 ille, siue quod a religiõe adhuc esset auersus, siue
 quod a suis eam necessitatem imponi grauate ac-
 ciperet. quã contumacius pernegasset, oriri inter
 eos aperte contentiones sunt cœptæ, atq; ita in-
 dies aduictæ, ut minus iã, natura elatus populus
 reuereri eius dignitatẽ, timereq; iurisdictionẽ inci-
 peret. Verebatur ne sacrorum dilatio eo irabere-
 tur consilio, ut sæcularis administrationis indu-

HISTORIARVM LIBER 2.

Et a consuetudine Episcopum suum dediceret ciuitas, uiciniq; ducis paulatim subiret imperia, quã illi rem morte quauis grauiorem putabant. Confluctantibus in hunc modum Episcopo & plebe, crescebat indies aduersus Ecclesiam rebellio. Iamq; ministris eius potestates quãdam ademptæ erant, quæ nullis denuntiationibus reduci in locum pristinum poterant. Itaq; Philippus qui natura uehemens erat, superariq; genus suum ciuili contentione dolebat, magnis precibus a Pontifice petit, ut dignitatem impugnatæ Ecclesiæ adimi per subditorum uolentiam non sinat, sed temeritatem populi superbientis censurarum irrogatione contineat. Quod ille cum Leodiensi sedi & communi aliorum dedisset exemplo, non nullo post contempta etiam Romani patris potestate ciuitati & agro, sacris est interdictum, inuocatusq; ad præsidium per iudices Dux, bellũ Leodiensibus intulit. Pugna autem non longe a muris commissa, occisis q; plurimis, reliqui in fugam conuersi sunt, ac ciuitas eodẽ impetu capta. Quæ ut ad nouam posthac contumaciam, calamitatum continuatione languidior fieret, dirui in

HADRIANI BARLANDI

circuitu muros iussit, tributumq; imperavit, quan-
 tū redimendis comparati exereitus stipendijs sa-
 tis suo iudicio uideretur, qđ q; omnibus acerbius
 habitum est, eos qui per ætatem ferre arma iam
 poterant uno edicto in exilium expulit, paucis
 quibusdam ad rei famitiaris custodiam cum mu-
 liebri sexu intus relictis. Hac tanta clade Ro-
 mā perlata, miseratus Pōtifex Ecclesiæ plebisq;
 fortunam, legatum ex Referendariorum ordi-
 ne proficisci illuc iussit, qui & obtēperari Ludo-
 uico Episcopo, & dissidentes animos suo inter-
 nenti conciliari curaret, reducendis quoq; exuli-
 bus, leuandisq; tributis quā posset opam impēde-
 ret. Erat is Honofrius Tricaricensis præsul, hō
 Romanus in familia locuplete, quæ S. Crucis
 dicitur, natus. Ad hunc igitur cum Agrippinam
 Coloniā maturato itinere puenisset, Leodiensis
 legatio aduentus huius præscia, accessit, summis
 obsecratiōibus petēs, ut quāto posset celerius Leo-
 dium properaret, reliquiasq; dispulsæ plebis red-
 ditis sacris, cōsolaretur. Quorum uile desyderijs
 obsecutus, ad oppidum Aquisgranense processit,
 milia passuum uiginti a Leodio positum. Ibi die

HISTORIARVM LIBER 2.

rum nonnullorum mora cognoscendum putauit,
 quo animo præsul, & populus ad suscipienda
 monita Romani Pontificis esset. Eos ut senti-
 re idem, & in omnia paratos cognouit, itine-
 re continuato a quarto miliario Præfulem, Cle-
 rumq; & magistratus urbanos obuios habuit, sin-
 gulosq; iureiurando adigens parituros decretis,
 quæcumq; ipse tulisset, pœnas Apostolicas sus-
 tulit, benedicensq; populo summa omnium exul-
 tatione ciuitatem ingressus est. Cumque is di-
 es uigiliarum esset Apostolorum Petri & Pau-
 li, ad ædem cathedralem procedens, solenne sa-
 crum uespertinum cantauit assistente plebe,
 quæ ut in paucitate, frequens ad uisendum
 conuenerat. Postridie quoque Ludouicus ipse,
 qui monitu Legati consecrationem Episcopalem
 iam acceperat, primis suis missarum solennibus
 est operatus, dominicumq; sacramentum tota ur-
 be Legato, & populo prosequente, manibus suis
 circumtulit. Erant gaudiorum plena omnia, re-
 spirareque tum primum ex longa fatigatione mi-
 seri uidebantur, diffensionem omnem initio hoc
 sublatam putantes. Id modo supererat, ut exu-

HADRIANI BARLANDI

lum quoq; & tributorum sua ratio haberetur,
 amodoq; ciuitatis incenibus parceretur, quæ Du-
 cis imperio sine intermissione deijciebantur. Po-
 stremo ut leges patriæ redderentur, sine quibus
 nil quietis habitura reliqua putabantur. Igitur ho-
 rum causa ad Carolum filium defuncto interim
 patre profectus legatus est, sed in tempora inci-
 dit, quæ rebus agendis multum erant contraria.
 Ducebat ille per eos dies uxorem Britannorum
 Regis filiam, minusq; diligenter propter nupti-
 arum solennia alienum quicquam intelligere po-
 terat. Iis uero absolutis, cum etiam tatum audis-
 set legatum, nil ob eam causam certum decreuit,
 quod bellum aduersus Regem Gallorum gerens
 socijs Britonibus in auxilium properabat, quos
 magnis copijs premi nuntiabatur. Id tantum de
 postulatis legato concessit, ut cum præsule et po-
 pulo quæ uiderentur componeret, conuentaq; re-
 ferret ad se cõfirmãda decreto suo, uel respuẽda.
 Hac pmissiõne Tricaricensis reuersus, tractare
 de omnibus cū præsulæ et exulibus ccepit. Sperãs
 conditionem se aliquã inuenturẽ, qua semianimẽ
 populũ suscitare, quietemq; statuere suspẽsis ani-
 mis pos

HISTORIARVM LIBER 2.

mis posset. Sed dum in his sine intermissione la-
 borat, Episcopus moræ impatiens, suas iuueniles
 cupiditates secutus, ad ppinguam oppidum sue
 ditionis Traiectum secessit, cuius rei occasione,
 simul quod diuturnius inter Regem & Ducem
 futurum bellum iudicabatur, plurimi exulū, qui
 in proximas sylvas ex prælio aufugerant, ad nu-
 merum quinq; milia resistente nemine Leodiū
 rediere, quos statim & reliqui sunt cōsecuti iner-
 mes, ac nudi, syluestribus tantum truncis, & fun-
 dis, lapidibusq; armati. Rediis huius populari q-
 dem multitudini id consilium fuit, ut Clerum
 omnem, cuius nomine tanta mala acciderant, uno
 impetu spoliarent, grauioribus autem paucis, ut
 pœnitentiæ significatione reditum sibi in patriā
 pacemq; deposcerent. Itaq; horum suasu ad lega-
 tum una uoluntate omnes accedunt, multa per no-
 uitatem facti timentem, orantq; ut se de prece-
 re iam tandē uitæ eorum misereatur Episcopus,
 plebemq; dispersam ac bestiarum more in latibu-
 lis agentem perire in syluis fame non sinat, cre-
 ditasq; animas una cum corporibus interire, sibi
 quidem id animi esse, ut illius subsint imperio,

HADRIANI BARLANDI

ac tanq̄ ministrū dei dominūq; ciuitatis accipiāt.
 Porro ut opificijs intēti in sudore uultus panem
 quærat, & quotidianis obsequijs famulētur. Hor-
 tātur quoq; ut supremas has preces miseræ plebis
 non negligat quam eo calamitatis adductam in-
 telligant, ut si se contemptam nunc uideat,
 timendum sit ne ciuitatem & Clerum sacrāq;
 & se insuper ipsam una impietate inuoluat.
 His auditis, legatus miserans multitudinis faci-
 em, quæ uestitu in syluis discisso, capillorumq;
 & barbarum promissione syluestrium hominum
 instar habebat, omnes in forum ad concionē uo-
 catos benignis uerbis alloquitur. Docet quāto in
 honore haberi Episcopos uelit Ecclesia, qd in cō-
 temnentes sacræ leges decernant. Illos quidem
 in patrem hunc suum paulo contumaciores fuisse,
 diutiusq; q̄ par uideretur in contentionibus per-
 stitisse. Quā ob causam coactus ille sit auunculi
 ducis præsidium implorare. Magno eos uictos
 prælio tulisse conditiones, quæ imperari uictis a
 uictoribus soleant, missum se a Pontifice ad con-
 solandum populum, & subleuanda onera esse,
fecisseq;

HISTORIARVM LIBER 2.

fecisset; in eam diem quæ tulerint vires. Reddi-
 ta iam ciuitati sacra, ad consecrationem Ludoui-
 cum inductum, cuius dilatae causa tanta mala
 accidissent, ad tollenda reliqua se etiam ad
 Ducem profectum esse, facultatemq; tractando
 rum omnium accepisse, opus hoc totum bona spe
 inchoatum, sed uereri ne hic eorum repentinus
 ad urbem accessus, successum suis laboribus adi-
 mat. Proinde deponant q; primum arma, quietiq;
 rerum exitum præstolentur. Cogitent uero si
 tumultuari pergant, quid Episcopo in eos, &
 quid sibi, & quid Duci futurum indignationis
 merito sit, qui prælio pulsos, murisq; nudatos
 tanta in se audere nunc uideat, ipsum quidē nisi
 monitis pareant, abiturū ilico ciuitate, nunciatu-
 rūq; Pōtifici quantū obstinatiōis apud eos inue-
 nerit, ad quorū salutem procurandam sit missus.
 Ad has eius exhortationes cum respondisset
 qdam necessitate impulsam multitudinē, quod ui-
 uere in syluis non posset, domum reuersam,
 Duciq; & Episcopo quæcunq; in se essent pa-
 ratam præstare, pati autem non posse alienis
 quam Ecclesiæ dominis ciuitatem subesse, mor-
 temq;

HADRIANI BARLANDI

temq; si ita opus sit, huius unius rei causa intrepide
 adituram. Legatus eos iterum consolatus, ut disceptationibus in tanto periculo finem faceret, magna
 uoce, quæ a tota concione exaudiri posset, postulauit, an parati essent positis armis, suis &
 Episcopi imperijs, ut ante promiserant, auscultare. Ad quam uocem multitudo omnis diuturno
 miseriarum tedio in quæstus & lachrymas commota, protensis ad eum manibus, pacem &
 misericordiam acclamabat, precans identidem, ut reconciliarentur tandem Episcopo, & in patria
 esse cum parentibus, & liberis liceret, ne laniati a feris passim per syluas impie mortis genere
 necarentur, arma quæ retinendæ uitæ causa sumpsissent, quum primum iusserit posituros. Id
 uero cum ad eius imperium statim fecissent, legatusq; propterea salutem eorum curæ sibi futuram
 dixisset, quieuerunt paulum omnia. Ciuitasq; ab impetu furentis populi est conseruata, exter
 nis post paulo cladibus occasura. Igitur legatus assumptis secum Principibus multitudinis huius
 Traiectum se ad Episcopum confert, & causam miserorum quæ maximis potest precibus agit. Iamq;
dierum

HISTORIARVM LIBER 2:

dierum nonnullorum diligentia rem eo redege-
 rat, ut reconciliatus Ludouicus ad oppidum Tun-
 gram, qđ inter Leodium Traiectumq; medium
 est, secum accederet, indeq; repetendam ciuitate
 statueret. Conuenerat autem ut turba omnis pœ-
 nitię significandę causa, effusa obuiam iner-
 mis, & supplex a transeunte misericordiam pre-
 caretur. Illi uero liceret quanto apparatu bellico
 uellet ciuitatem intrare, dominatumq; in se omne
 suscipere, & sua uoluntate omnibus moderari.
 Ea dum ad certam designatam diem perfici de-
 bent. Dux interim q; accepto tam audacis mo-
 tus nuntio, uehementer erat commotus, ad Epi-
 scopum scribit, ut tractatum omnem quicumq; cū
 Leodiensibus haberetur abrumperet, seq; ultorē
 propediem expectaret, atq; (ut sine periculo fie-
 ri id posset) quatuor milia delectorum militū in
 eius pręsidiū mittit. Erat Duci iam pene explo-
 rata spes constituendę cum rege pacis, quę cū
 socijs Britonibus iam constituta, quorum causa
 bellum susceptum erat, faciliorem suam uideba-
 tur efficere. His ergo intellectis, Ludouicus q;
 in potestate Caroli esset, dicto obsequitur, cun-
 ctasq;

HADRIANI BARLANDI

Etq; dissoluens, præsidio quod erat missum, eodem loco se continet, maiorum copiarum aduentum opperens. Id ergo conspicati Leodienses, quorum in utranque partem & ad humilitatem, & ad contumaciam uehemens erat natura, aliam (ut in desperatione rerum fit) salutis rationem adorti, proxima nocte armata duorum militum manu Tungram maximo silentio accedunt, oppidumque ingressi, quod in recenti Ducis uictoria deiectis muris aditus per ruinas habebat, eodem silentio ad Episcopum penetrant, suamq; primum, tum aliorum qui secum erant domos circumstantes, impetum in præsidiarios faciunt, nudosque, & re subita perturbatos facile opprimunt. Si qui effugere in tumultu casu aliquo poterant, ij contendebant Traiectum, erantq; clamoribus, & gemitu morientium omnia perturbata. Episcopus uero suorumq; nonnulli, qui ad intimam custodiam excubabant, perfosso statim coniunctæ domus pariete in qua diuertebat legatus, intra cubiculum eius refugerant, fortunamq; aliorum pauidi expectabant. At legatus qui ab initio tumultus inermis in uicinis erat

HISTORIARVM LIBER 2.

erat progressus, cognitis statim Leodiensibus,
 Duces eorum qui cæde fugientium bacchaban-
 tur, uocari ad se multis suasionibus contende-
 bat, casuque peranxius erat, eos tandem uenien-
 tes cum lachrymis rogat, quam nam ob causam
 eo miseri accessissent, atque inter deprecatae
 pacis tractatus tantum nunc scælus admitte-
 rent. Illi ut erant madentes sanguine, & exi-
 tu adhuc rerum suspensi, perturbata uoce re-
 spondent, quod ad Episcopum tanta uiderint
 missa præsidia, ultionemque suam sint ueriti, illuc
 eos uenisse mala consilia præuenturos, ne in-
 terim obtentu impendendæ ueniæ ciuitati exi-
 tium pararetur, petere id quod ad salutem reli-
 quum arbitrentur, ut ipse cum Episcopo eo ex
 loco Leodium properent, quoniam & reuere
 ri utrumque, dominumque ciuitatis Ludouicum
 statuere certum sit omnibus, id ni fiat proposi-
 tum multitudini esse eos, atque oppidum uno
 eius noctis incendio absumere. Legatus instan-
 tem necessitatem cognoscens, quod animos ad
 ea quæ minitarentur incensos uideret, acce-
 pta fide ne quem ultra occiderent, de accessu
 ad ci-

HADRIANI BARLANDI

ad ciuitatem agere cum Episcopo ccepit. Quo statim, ut in tanto periculo necessarium erat, in sententiam traducto, nullo tumultu ambo Leodi um rediere comitante multitudine, non quæ incisisset, sed quasi quæ dominos suos ex aliorum captiuitate p̄ uim receptos domū reducerent, læta bantur omnes, & tota Leodiensis Ecclesia, resti tuto præfule erat in gaudio. Ii quoq; qui in Tun gra superfuerant cædi, libertati pristinae redde bantur, cū honoribusq; remittebantur ad suos. In ijs erat Dux præsidij paulo ante ad Episcopum missi, quem in latebris adinuentum, ut ad Caro lum proficisceretur, ueniamq; & pacem multitu dini oraret magnis obtestationibus induxerunt. Dux uero qui nōndum his acceptis ad ultionem nihilo minus tumultuosi reditus properabat, audi ta etiam Tungrensi audacia, nullo furori conces so spatio, pacem ilico cum rege constituit, impe trata conditione, ut præsentia sua, atq; exercitu conatum hunc adiuuaret. Itaq; ambo in Leodien sem ciuitatem mouentes a miliario uicesimo con stitire, præmissis tribus milibus Burgundorum, qui urbi appropinquantes, Duces cum reliquis co
pijs

HISTORIARVM LIBER 27

p̄is expectarent. Leodienses tanto hominum nu-
 mero ad se iri uidentes, quantum uix Galliae re-
 liquum per id tempus in armis habebat, necessa-
 rio uel moriendum esse, uel relinquendam exci-
 dio patriam cognoscebant. Itaq; ut eorum erat in
 magnis rebus ferocia, ratione aliquando parum
 expensa, ad extrema perferenda se firman-
 Tungrensemq; fortunam sperantes, adoriri no-
 ctu propinquos Burgundos instituunt, quos non
 totis octo milibus passuum abesse constabat. Ita
 q; de secunda uigilia populariter egressi magnis
 animis in eos tendebant. Illi uero proximo ad
 Tungram casu admoniti uigiles in armis agebāt,
 protinusq; cognito per exploratores consilio pro-
 gressi obuiam praelium acerrimum commiserunt,
 quod ad lucem usq; magna hominum caede pro-
 ductum est. Tandem Leodienses coacti sunt ce-
 dere. In eo certamine ceciderunt Burgundorum
 p̄multi, in ijs fortissimus quisq; ac nobilissimus.
 Sed ex Leodiensibus longe plures, qd̄ noctis iti-
 nere fatigati minusq; armati iniqua pugna erāt
 congressi. Quae res ciuitatem omnem alioquin
 malis fessam maxime consternauit. Cum & lu-
 Etibus

HADRIANI BARLANDI

Etibus passim repleantur omnia, & orta luce miserando spectaculo referri humeris patres, fratres, & filij exanimis manante adhuc sanguine uiderentur. His tantis malis confusus Legatus, ac plane iam inops consilij, quod unum ad deprecandam uitam reliquum erat, conuocato iterum ad concionem populo in conspectu omnium lachrymas. Videtis inquit ciues fortunam uestram ferocibus consilijs, non mea culpa ad supremum adductam. Imminet propinquum exitium. Iratus est Dux, & Duci adiunctus Rex potentissimus, ad uos ambo instructo exercitu properat. Urgens necessitas longam orationem non poscit. Audite filij, ut extremam uobis quam possum pietatem impendam, paratus sum si ita opportunum putatis, ad Ducem nunc proficisci, mecumque Episcopum ducere. Obuii ambo exercitui, atque humi strati misericordiam lachrymis nostris precabimur. Cum personam ego feram Pontificis, ille Regi Duci, iunctus sit sanguine. Inueniemus forsitan, quod respirandi spatium praebeat, nam imperandi nunc interminandi, tempus non est, precum esse redemptionem oportet. Legitima de uobis mea

HISTORIARVM LIBER 2.

bis meo, & uestro nomine repromittā omnia. Si placet hæc ratio actutū ibimus, sin præsentior apud uos alia est, illam monstrate, uobiscū et sine uobis eundem casum parati sumus subire. Cum hæc profectio fletibus omnium, & uociferationibus probaretur, ad declarandam insuper pœnitentiam ciuitatis adijciuntur primarij ciues summum eo tempore magistratum gerentes, qui una euntes imperata Ducis suscipiant, deq; reliquorū fide testimonium ferant. Itaq; hora diei iam decima, profecti omnes ad tertiam noctis, non sine crebris uitæ periculis ad primas stationes hostium peruenere. Quibus statim præfecti duo obuiam facti, quorum alter erat præses Burgundiæ, alter sororis Episcopi uir, intellecta uicæ causa uetuerunt eos ulterius p̄gredi, ac statim in custodia præsidis legatus, Episcopus in affinis sui tabernaculū adductus est, magistratus uero omnis in uincula cōiectus. Inter hæc cōgregato ducis cōcilio, cū hora lapsa iā esset ad eū oēs deducūtur, quamq; ob causam id noctis uenissent requirunt. Dicere pro omnibus orsus legatus, quanta uerborum, & uocis demissione misericordia potuit,

H placā

HADRIANI BARLANDI

placare conatus est iracundiam ducis, & ueniam
 miseris impetrare. Idētidem monstrans præsen-
 tem Episcopum, cuius causa sumpta essent arma,
 ouibus suis salutē precari, ciuitatem paratam esse
 si uelit, exercitum omnem intus accipere, & præ-
 suli parere, & quæ imperata post primam uicta-
 riam erant quæ maiora uiribus, actutum implere.
 Pro ijs autem quæ ad Tungram & nunc apud
 antecursores sunt gesta, ex Ludouici & suo eti-
 am iudicio satisfactiōnem præstare. Manus quo-
 q; in illum supplices tendens, atq; ad hunc affe-
 ctum lachrymas superimpēdens petijt si minus
 præstandam eam pietatem humiliato iam populo
 duceret, præstaret saltem Deo creatori, qui pro
 crucifixoribus patrem orasset, præstaret & Ro-
 mano Pontifici, cuius beneficio ea sedes Leodiē-
 sis generi suo esset concessa. Nihil his dictis ob-
 stinata ad ultionem mens potuit flecti. Respon-
 dit tantum liberam sibi in res atq; animas ciuū
 uelle potestatem permitti, nec omnino conditio-
 nem aliquam dici. Quæ res Leodium significa-
 ta ad sustinenda extrema, quærendamq; armis
 salutem corda omnium incitauit, putantium occa-
sunt

HISORiarVM LIBER 2.

sum suum quem declinare in prælio forsitan possent, in deditioe certissimum esse. Igitur Dux misso Traiectum legato, atq; eodem loci magistratu Leodiensium in cathenis traducto, iniungit Episcopo, ut sumptis armis secum ad usciscendas iniurias eat, patris propositum ac suum animo agitans. Etenim, quod ea ciuitas potentissima esset, uicinaq; Brabantiaë provinciaë, frequentes cum illa contentionum occasiones haberet, serua ta autem contra maiores suos Regum patrociniõ diceretur, delere nunc in tanta opportunitate cõspirantis Ludouici Regis ad internecionem uolebat. Igitur admoto ad urbem exercitu bipartito copias diuidit, ac colle occupato qui Valburgẽ si portæ proximus erat, suam & Regis stationẽ eodem in loco constituit. Ad alteram autem ac longe diuersam ciuitatis partem Philippum Sabaudiensẽ cum reliquis mittit, ut uno tempore tentata utriusq; irruptione populus ad duo conuersus, ad repugnandum inualidior fieret. Leodienses his tantis angustijs circumuenti, summam rerum suarum ad fratres duos præcipue fortitudinis uiros detulerant, Burenũ & Gozonũ,

HADRIANI BARLANDI

quos reliqua multitudo in quamcumq; duxissent
 partem ilico sequeretur. Ii uero animis usi, con-
 uocatis ad se primis nonnullis docent, nisi aliquo
 grandi ausu salutem ciuitatis stare non posse.
 Proinde si accingere se una uelint, paratos esse
 omnium primos suas animas dare. Cum statim
 uelle se omnes dixissent, idq; unum consentirent
 ad redemptionem patriæ superesse, partita inter
 Burenū & Gozonum multitudine rationē ir-
 ruptionis hęc ineūt, ut uidelicet nocte quæ insta-
 bat, Gozonus ad castra regia nil tale in tantis
 copijs expectantia, impetū faciat, Burenus uero
 eodē conatu ad Philippum erūpat, futurę speran-
 tes ut alter exercitus alterius perceptis clamori-
 bus, desperatione alterni subsidij conuerteretur
 in fugam. Ut uero etiā pturbatius confunderen-
 tur omnia, iubēt cupas innumeras secum portari
 nitro, & pice completas, quæ primo adortu accē-
 sę in illorum tabernacula locis omnibus iaceren-
 tur, atq; inde flamma excita malo anticipiti trepi-
 dantes inuaderet. Cōdictis omnibus ad designa-
 tū opus disceditur, animis q̄ successu maioribus.
 Peruenerat iā ad regias stationes Gozonus nō-
dum

HISTORIARVM LIBER *III*.

dum intellectus, expectabatq; ut a Bureno signū acciperet, quo significaretur ad Philippi castra a se quoq; accessum, et pugnam cōmissam esse. Sed is dū tardius condictū exequitur, Gothoniā q; dam moræ impatientes ad tētoria Ducis Regisq; furtim prolapsi incendere ea cœperūt, & ferocius hostibus insultare. Quo factū est, ut clamore statim sublato, let a Philippēsis inde excepto, utrobq; armatus exercitus Leodiēses ab incepto terruerit. Orta luce, indignati ambo quod tot iā cladibus attritus populus nocturno etiā incursum suā petisset, ocys Philippo impant, ut quā pte muri essent disiecti cōferto agmine irruptionē tētare, ipsiq; ex eo ubi tēdebant loco pducto exercitu idē conātur. Pugna incepta, magna contentiōe utrinq; res gerebatur, his annitētib; ut cōceptæ iracūdiæ facerēt satis, illis ut cōiuges, liberos, parētesq; supremo illo certamine ab interitu uindicarēt. Sed lōge impar Leodiēsiū fiebat cōgressus, q; hostes numero pugnatos, & apparatus omnium rerum instructissimi erant. Urbana autem turba nec assueta bellis, nec armata satis multis acceptis cladibus ad paucitatem redierat.

HADRIANI BARLANDI

Quamobrem paulatim summota loco, & cadentium numero debilior facta cedere propugnaculis, liberumq; ingressum irrumpentibus dare coacta est. Ita uno tempore duobus ex locis Burgū di calamitatem miserrimam intulere. Eorum uero q; adhuc integri erant, ad hominū circiter xx. milia, cum imbelli multitudine in forum, subito confugerunt, obstructisq; aditibus, ut in articulo illo licuit, noctem expectabant, per quam rediētis in castra exercitibus educere suos ad fugæ societatem possent. Sed ea re intellecta e uestigio Dux ciuitatem omnem locaq; in primis foraproxima iubet incendi, cuius mali necessitate cōpulsī illi relictis omnibus ad syluas proximas se cōtulerūt. Clerus inspecta iam ante ciuitatis fortuna, in sua quisq; Ecclesia clausis ianuis se continebat uestibus sacris indutus, sanctorumq; reliquias, atq; adeo ipsum domini sacramentum ad deprecandam misericordiam manibus præferēs. Idem religionū uirginūq; cœnobīa p sua quæq; cōditioē egere. Sed nihil inter arma sceleratæ militū manus incontaminatū liquere. Refractis portis sacra omnia in lachrymabilē direptionē sunt data,

HISTORIARVM LIBER 2;

data, sanctuaria Dei tota urbe incēsa, spoliati sacerdotēs, atq; occisi. Tū nec parietibus templorū etiam parsum. In ipsam autem imbellem turbam tanta impietate scēutum est, ut nulli sexui, etati aut ordini ignotum uoluerint. Infantes allisi parietibus sunt, puerperæ confosse, plæreq; uirgines stupratæ primo, mox strangulatæ, senes quoq; & pueri eodem quo pugnantes habiti loco. Quin & illud ad malorū cumulum accidit, ut parentes cum matribus, filijs, & omni prole inualida, fune uno cōstricti ad acerbitatē interitus in pfluētē Mosam deijcerētur, in medijsq; diuinis dum adstat sacerdos altaribus, & domini corpus sanguisq; inter manus uersantur, sacra patinæ & calices impie raperentur, ut merito de tam scēis hostibus emitti ad ultorem dominum uox illa prophetæ lamentabilis possit. Domine deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerūt templum sanctum tuum. Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, posuerūt morticina seruorum tuorum escas uolatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem.

HADRIANI BARLANDI

rusalē, et nō erat q̄ sepeliret. Inter hæc aut̄ iā fœ-
 da crudelitatis ministeria, Ludonicus rex amica
 semp̄ ciuitatis calamitate cōfusus, quæ in illū pu-
 gnans nomē eius clamoribus inuocabat, plane iā
 facti pœnitēs, in p̄ximas regni sui regiōes exer-
 citu abducto concessit. Dux uero dimissa urbe
 prædonibus, ipse cū expeditis eq̄tibus ad inseque-
 dos q̄ fugerant cōtinuo p̄fectus est. Sed ubi aspe-
 ritate syluarū ne inueniri q̄dem illos, nedū capi
 posse intellexit, regressus Leodium tota passim
 ædificia deiici impauit, ne p̄fugis spes ulla redi-
 tus sup̄esset. Mox quoq; Traiectū cōtendens ma-
 gistratū, q̄ salutis fidē ab Episcopo ante accepe-
 rat, uinctusq; nihilominus illuc fuerat deporta-
 tus, strangulari, & in p̄fluentē abijci iussit. Ean-
 dem fortunam uicina quoq; nōnulla oppida, quæ
 Leodienses adiuuerant mox subiire. Hic finis cō-
 tentionū fuit, atq; hūc occasum cæleberrima quon-
 dā ciuitas tulit, uictorijs nobilitata innumeris, et
 a Romanis imperatoribus condita, Clero aut̄ an-
 te alias Germanicas Ecclesias clara, diuini uero
 cultus ornamentorūq; sacrorū cum sanctissimū,
 tū locupletissimū domiciliū. Cuius q̄dē ante has
calamita

HISTORIARVM LIBER 2.

calamitates is animarū numerus fuit, ut censu habito centum et uiginti milia intra muros tantum continere inuēta sit. Hactenus posui Cardinalis Jacobi uerba de excidio Leodij. Nūc uenio ad ea quæ post Caroli cædem gesta sunt.

Postq̄ Carolus in humanis esse desisset, Barbantia, Flandria, Hollandia, aliarumq; regionum finitimarum principatus, sicut ante dictum est, in Mariam filiam eius unicum recidit.

Quæ Gandauī agebat, quum tristissimū de cæde parentis acciperet nuntium. Venerunt illuc haud multo post illustres uiri complures, partim consolaturi sceminam, quæ parentis obitum, ut par fuit, grauius molesteque ferebat. Partim cum ea de Reipublicæ administratione colloquuturi. In his erant Ludovicus Borbonius, Leodinatorum tunc temporis antistes, David Burgundio Traiectensium in Hollandia Episcopus, Mariae patruus. Hic enim Caroli frater, sed Nothus erat, Ioannes Dux Cluensium, & Adolphus Rauesteynius fratres, Volphardus Veriensium princeps, Ludovicus comes Vintesteynius, Holladiæ Seladiæ ac Phrisiæ præfectus,

HADRIANI BARLANDI

Gualranus Brerodius. Quibus Gadauū ingres-
 sis, statim in eadem urbe Maria principatū Flan-
 driæ suscepit, ac priuilegia ciuibus reddidit
 omnia, quæ pater ob excitatum se præsentem in-
 multum, illis ademerat. Secundum hæc,
 Maria ad Regem Galliarū Ludouicum legatos
 misit, Guolphardum Veriensem, Ludouicum
 Gruythusium, & Guilelmum Hugonetum, q̄
 Cæcellarius fuerat Caroli, ut hi suo nomine regi
 præstarent Homagium, uulgari uerbo uoce, ut ne-
 mo non intelligat. Legatos priusquam a se dimit-
 teret Ludouicus, duo ab his Mariæ cognatæ suæ
 renuntiare uoluit, ut orbata parente, se tutorem
 illa rerum suarum acciperet, eademq; filio suo
 Carolo, qui tum annos natus erat duntaxat se-
 ptem, nuberet. Ad principem suam reuersi lega-
 ti hæc ita ut iussi fuerant, renuntiauerunt. Primū
 nihil respondit Maria. Patris interea mortui Cæ-
 cellarius suadere ut id faceret. Ad postremū eti-
 am dicere, minime eam rebus suis consulere, ut
 quæ has nuptias, & illum tam potentem, & san-
 guine iunctum principem tutorem recusaret.
 Quodam igitur die sub uesperam, ad se ingresso
Adol

HISTORIARVM LIBER 2.

Adolpho Rauesteynio, multis cum lachrymis queritur, nimis sibi molestum esse Hugonetum, qui non desisteret instare, ut quæ Ludouicus proxima legatione petiisset, ea faceret, quandoquidem haud alia uia pacem ab illo impetratura uideretur, exierat enim induciæ. His auditis Adolphus paucis eam, ut potuit, consolatus, abiit, & re cum tribunis populi Gandauensis communicata, effecit ut statim apprehenderetur Hugonetus, & cum eo protonotarius quidam Pontificius. Quæ nocte hæc acciderunt, clanculum fugit princeps Humbercurtius. Is cum dies aliquot latuisset in Carthusiaco extra Gandauum cœnobio, apprehensus & ipse in oppidum retrahitur. Ita ijs tribus uiris in uincula coniectis populus aliquandiu in armis fuit. Hugonetus quæstioni admotus, tandem confessus traditur a se suppressas literas Caroli, quas ille ante Nantium inopia rerum omnium laborans, quæ ad bellum gerendum necessariae essent, ad suos cōscripserat. Rabies igitur uulgi inuito magistratu, inuita etiã principe, Hugonetũ, Humbercurtiũ, & Ioannẽ Mel cognomẽto eqtẽ auratũ gladio subiecit, die Iouis qui dominicam præ

HADRIANI BARLANDI

præcedit resurrectionem. Protonotarius in carce-
 rem coniectus est, ubi post annos aliquot expi-
 rasse traditur. Hugoneti corpus Gandavi in cœ-
 nobio fratrum deiparæ, Ioannes Mel apud Au-
 gustinenses, Humbertij cadaver inde auctū
 sepelitur haud lōge ab urbe Atrebatō. Treuiris
 in Germania Friderici Imperatoris filio Maxi-
 miliano filiā suam Mariam despōderat Carolus
 anno salutis humanæ Millesimo quadringentesi-
 mo septuagesimo quinto. Gallorum itaq; Rex
 Ludonicus quum audisset futurum, ut Maximili-
 ano nuberet Maria, plenus irarum subito contra
 Etis uiribus Atrebatum uenit, quam urbem dies
 aliquot assiduis bombardarum ictibus oppugna-
 tam, ad postremum in deditiōnem accepit, plu-
 ribus eiectis, quibusdam etiam occisis, qui Mariæ
 fauebant. Ingressus Arthesiam uicē cepit oppida,
 quæ Burgundo cesserant, quo tempore pugnatū
 est ad Montlericū. Sub idem tempus & Burgū-
 diam nostratibus ademit, existimās eam iure hæ-
 reditario mulieri accedere non posse, nam uirilē
 stirpem nullam reliquerat Carolus. Videbantur
 Galli & alia occupaturi loca, nisi resisteretur.

Itaq;

HISTORIARVM LIBER 2.

Itaq; conscriptus exercitus mittitur Auennas in
 Hannoniam. Huc cum armata manu accurrens
 hostis oppidulum expugnat. Capti duces copia-
 rum nobiles ac generosi uiri omnes, magno sunt
 postea redempti. Tornacum eodē tempore a Gal-
 lis præsidio firmatū. Hinc quum quotidiana p-
 pe incursiones fierent in Flandricum agrum, ir-
 ritati Flandri, copias contrahunt. Copiarum Im-
 periū desertur Adolpho principi Gelriæ, q p id
 tempus attente custodiebatur in arce Cortraci.
 Hūc uirum custodia eductum sequenti milites, ua-
 stato latissime Tornacensium agro, ad ipsa usq;
 mœnia urbis accesserunt, ubi nullo adhuc memo-
 rabili ædito facinore, Dux Adolphus in uiridi
 pratulo, ab ijs qui se portis effuderant, occidi-
 tur, frustra eum defendente Ioanne Crachio,
 qui & ipse loco eodem confossus est. Mortui
 Ducis corpus auētum, honorifice funeratur a-
 pud Tornacenses.

Nouis postea moti-
 bus per Brabantia & Flandriæ oppida labora-
 tum est. Eruxellæ, uulgus quem impetrasset, ut
 summotis magistratu, qui ex illustribus aliquot
 familijs cōplures annos summæ rerū præfuerāt,
 sibi li

HADRIANI BARLANDI

sibi liceret quotannis ex corpore ciuitatis totius renouare senatum. Creati xv. uiri ex eodem corpore, quorum studio ac diligentia breui temporis spatio factum, ut grande æs alienum dissoluerint, & urbem pristino restituerint uigori. Post aliquot inde annos mutatis in diuersum rebus, pmissa est iterum administratio familiis, magna certe iactura reipub. Per eadem tempora fuit et Louanium in motu, conspirante plebe aduersus senatum ac primores ciuitatis, qui Gallorum regi, cum quo tum acre dissidium erat, fauere dicebantur. Conspirationis dux erat Ianius quispiã Paulus, cognomento Luenken, uir non pessimus omnino, sed lingua promptus. Hic apprehensum oppidi præfectum Ludouicum Pinnoc, & principes ciuitatis aliquot gladio subiecturus erat, sed allatus ex Germania de Maximiliani aduentu nütius eos seruauit. Hic fuit rerum status, quoad Nassauus princeps, cum armato milite in Louaniensem agrum ad comprimendos motus irrupit. Tum demum autores tumultus futurum metuebãt, ut si urbẽ expugnasset, capitali supplicio officerentur. Alijs igitur alia clam dilapsis, Paulus

HISTORIARVM LIBER 2i

lus omniū princeps in Selādiā applicuit, ubi Cru-
ningæ, qui pagus est eiusdem insulæ, apprehen-
sus decollatur. Urbis enim præfectus Ludouicus,
quem durante motu captiuum habuerat uulgus,
ad singulorum pene magistratus locorū insigniū
scripserat de Pauli fuga. Ciuiles in Brabantia et
Flandria tumultus, nam per singulas pene urbes
ea pestis uagata est, conquieuerunt aliqua ex
parte aduētū Maximiliani Archiducis Austriae,
quē pater Fridericus Imperator miserat in hæc
loca, ut uxorem duceret Mariam Caroli nuper
ante Nantium cæsi Ducis filiam unicam. Hæc
agebat id temporis Gandauī, quo per Louanium
& Bruxellam Brabantiae oppida Maximilianus
profiscitur cum ornatissimo agmine procerum
Germanorum, quos illi proceritate insignes, ue-
stitū eleganti, auroq; exornatos, equis atq; lance-
is conspicuos parens Fridericus adiunxerat. Iam
Teneramundam uenerat, quum Gandauum al-
latus est nuntius aduentare principē. Cui appro-
pinquanti, senatus statim uniuersus, multiq; alij
eiusdem urbis clari ciues ad portam Bauonis oc-
currentes, felicem aduentum gratulati sunt. Ad
ingressum

HADRIANI BARLANDI

ingressum noui principis undiq; procurrere pueri, prosilire adolescentes, effundere sese iuuenes, pmoliri senes, gratulari, applaudere, oēs sublatis in cœlum manibus immortalī deo gratias agere. Ducalem aulam ingressum nobilis illa uirago Maria sponsum optatissimum obuijs ulnis excepit, ac lachrymis gaudio manantibus est exosculata. Accedens deinde Tornacensium antistes, præsentibus & aulicæ nobilitatis, & Ecclesiæ dignitatis summatibus, stabili eos iungit connubio. Annus quo nupsit Archiduci Maria fuit millesimus quadringentesimus septuagesimus nonus, ab eo, q̄ primus exordiū dedit nostræ salutis.

Anno a Christi incarnatione millesimo quadringentesimo octuagesimo primo uenit Maximilianus in Arthesiam, bello recuperaturus oppida, quæ Gallus occupauerat. Subsedit exercitus apud Lentium, id enim nomē loco. Inde nec procul aberant Gallorum copiæ. Sed nec ullam tentauit Archidux obsidionem, nec se loco mouit Gallus. Inuenio de inducijs aliquot annorum inter eos cōuenisse. Eodem fere tempore laboratum est nostris in locis maxima annonæ caritate

HISTORIARVM LIBER 2.

caritate, quæ multos durauit annos. Sub exitum
 induciarum Maximilianus Arthesiæ contra ho-
 stium incursiones tuédæ præfecit Comitem Ro-
 montensem. Cuius solertia ducis Cameracū eo-
 dem tempore est occupatum. Flandriæ governa-
 tio tradita Petro Comiti Eriano, qui uir erat pru-
 dentia singulari, qua nihil est magis in bello ne-
 cessarium, quàm omnia prius cōsilio quàm armis expe-
 riri oporteat. Ita ordinatis rebus, Archidux ipse
 cū ingēti armatorū manu, ad obsidendū Morinū
 est egressus, posuitque castra non longe ab oppi-
 do. Hic certior factus de hostiū aduentu, obuiā
 processit, acie disposuit, subsidia locauit. Sed Gallo-
 rū, qui numero præstabāt, tā celeri incursu atque im-
 petu, nostrorū signa turbata, cædes ædita, et amif-
 se machinæ, sed pauca. Eodē momēto per occasio-
 nē erūpens Morino præsidiū Flandrorū munitio-
 nes adoritur, ubi cæsis, quos inuenissent, multa,
 uestes (credo) sericas, aurea et argētea uasa, quæ
 Archiduci magno constiterant, secū deportarūt.
 Pertraxit eo spes prædæ et aliam Gallorū ma-
 nū, quos insequutus Archidux ad v. milia tradi-
 tur occidisse. Inde Arream se recepit Arthesiæ

HADRIANI BARLANDI

oppidum. Quæ res eum a Morini obsidione retraxerit non reperio in commentarijs. Per eadē tempora Flandris atq; Hollandis plurimæ sunt ademptæ naues, totum mare infestantibus Gallis. Iidem postea Lucenburgensem agrum incurstantes, ferro & igni uastarunt. Cuius fama belli excitus Archidux Brabantia educit exercitum. Acie congressus cum hoste primum infeliciter pugnat, donec opem ferentibus Alemanis, Gallorum agmen terga daret. Non multis post diebus iterum agi de inducijs cceptum, quas inuenio utrinq; pactas in Cal. Apriles proxime sequentes. Erat autem mensis Augustus, quum hæc agerentur. Octobri proximo agitatum de sarcienda pace inter Gallum & Archiducē, maxime adnitente Iuliano Cardinale Ostiensi, qui nostra memoria Pontifex Apostatæ fugiens appellatiōnem, duabus extritis e nomine suo literis, Iulium uocari se iussit, Iulij dictatoris illius nomenclatura delectatus. Cuius & mores eum in quibusdam retulisse accepimus. Is inquam Ostiensis in hoc Tornacum uenerat, ut principes, inter quos acere dissidium erat, in gratiam redigeret.

Verum

HISORiarVM LIBER 2.

Verum ut nihil uidit se proficere, in Gallias pri-
 mum, inde Romam est reuersus. Durantibus in-
 ducijs neuter alterum infestauit. Calendæ Apri-
 les quum iam adessent, prolatum est tempus in-
 duciarum usq; in Iulij mēsis initium. Hoc Apri-
 li Mechliniæ diem obiit Ioannes Burgundus an-
 tistes Cameracensis, qui sic uixit post delatum
 sibi Episcopatum, ut munus Episcopi ob ambitio-
 nem & quæstum magis, q̄ ut suis prodesset concu-
 pisse uideretur. Nolo hic pluribus narrare maio-
 rem illi fuisse cum scortis & aleatoribus consue-
 tudinem, q̄ cum libris Euangelicis, ac uiris q̄ es-
 sent doctrina & pietate insignes. Deus hominū
 sceleribus iratus, tales dare solet ouium pastores,
 hoc est libidini, commensationibus & auaritiæ
 deditos, nonnunq̄ etiam pueros moribus & æta-
 te. Qui suffectus est Ioanni Henricus a Bergis
 uir fuit nulli optimorum antistitum pietate aut
 alio uirtutis genere secundus. Victum impartie-
 bat egenis, succurrebat laborantibus, orabat fre-
 quenter, docebat etiam. Quod enim docen-
 di genus salubrius, ac optimo illi & uni deo gra-
 tius, q̄ aberrantes recte monendo concionandoq;

HADRIANI BARLANDI

ad uiam reducere uirtutis? Quod ille tā strenue
 faciebat, q̄ huius t̄pis antistites strenue uel poti
 tāt, uel uenantur, uel aleam ludunt. Adijciam q̄
 & studia coluit, studiosos amauit, fouit, proue
 xit. Multorum qui ad communem utilitatem ali
 quid conscriberēt portus, sinus, præmium. Ipsi
 us deniq; Latine rei tunc temporis ruinosæ &
 nutantis reductōr ac reformatōr. Appetebat iā
 mensis Iulius, quo tempore missi sunt aliquot
 e proceribus Atrebatum, qui cum regijs legatis
 egerunt, ut rursus in annum unum induciæ fie
 rent. Laboratur fame diuersis locis. Edicto im
 peratum Gandauī & Brugis, ne quis frumen
 tum pluris uenderet q̄ statuisset senatus. Qui
 domi habebant plura modiorū milia, in publicū
 ferre ac uendere sunt cōsulsi. Anno partus
 deiparæ M. cccc. lxxxvi. Fræcfordicæ nobili em
 porio superioris Germaniæ, Maximilianus Fri
 derici Imperatoris filius, Rex Romanorum de
 claratus est. Nō multo post cum satis numeroso
 exercitu, ad nostratia loca reuersus, mouit in Pi
 cardia, aliquot eius terræ urbeculas oppugnata
 tus, quæ Gallo cesserant, Quidam scribunt ab

HISTORIARVM LIBER 2.

eo, qui per id tempus Gallicis præerat copijs, pecunia et largitione corruptum militem, detrectasse pugnam. Itaque rex pudefactus, nullo hic ædito memorabili facinore, abiit. Iam Brugis & Gandavi duarum in Flandria maximarum urbium ciues Maximiliani detrectabant imperium. Non quod huius maiestatem contemnerent, sed in causa erant consiliarij, multa inclementer extorquentes a bonis, ac principi suo impensissime deditis ciuibus. Præter cæteros multum erat suspectus quidam Petrus cognomento Longocollus Regi a thesauris. Igitur his de rebus certior factus Maximilianus cum omni procerum ordine & manu armata Brugas uenit, ut a se alienatos ad imperium retraheret. Verum euenit longe aliter. Senatus Bruggensium regij consilij postulationes reiecit, reiecit & populus. Vnde confestim nouis motibus urbs exerceri cœpta est. Medio tumultu ne quid in regem populi furor ageret monitus est ipse & rogatus, ut reciperet se in domum quæ principe digna eum per dies aliquot exciperet, donec sedatus esset popularis tumultus. Per-

HADRIANI BARLANDI

missum ut aliquot ex suis quos maxime uellet, apud se haberet. Missi eo ex Brugis & Gandauo ciuitatibus nobiles uiri qui regem interim obseruarent ne quo abire posset. In tantis malis ad Pontificem Innocentium huius nominis octauum datae literae, quibus significabatur captiuum esse Brugis Romanū regē. Pōtifex re intellecta nihil cūctatus, scripsit Colomensium Archiepiscopo, ut facti autores Brugeses, Gandauos, & Ipreses, anathematis fulmine defigeret, nisi mandato obtemperantes, intra certum tempus custodia Romanum emitterent. Secundum haec uenerunt Brugas undiq; primores oppidorum de pace aeturi cum rege. Cui multa sunt aureorum promissa milia a Flandrensibus, si noxiam condonaret. Priusquam exiret custodia Romanus, cum Brugesibus ac caeteris facti eius autoribus stabilem & mansuram pacem sanxisse traditur. Ad fidem promissorum dati a rege obsides, & creati sunt nobiles uiri aliquot, qui omnia quae Flandricae ditionis essent, iure armisq; defenderent, ac tuerentur, donec Philippus Romani regis filius per aetatem admoneri gubernaculis posset.

Rex

HISTORIARVM LIBER 2.

Rex ita dimissus incolumis abiit Louanium ad patrem suum Fridericum. Qui paucis ante diebus eo ex Alemania uenerat cum exercitu, factam ulturus iniuriam filio. Hic Maximilianus & gratias egisse patri, et supplex orasse dicitur, ut omnem uim bellicam a Brugenſibus abſtineret. Sed ira accēsus Fridericus, reiectis filiꝝ precibus, hostiliter Flandriā uexare ē adortus. Gāda uenſes uenientem uelut hostem non hospitem, suis mœnibus excluſerūt. Videbatur uenisse Fridericus, ut urbem caperet, sed ingenti eius magnitudine territus & telorum multitudine, quæ e muris in appropinquantem coniecta est, uim inhibuit. Ita exclusus, indeq; repulsus omnem circūiectam urbi regionem hostiliter incurſauit. Tā subito in agricolas nihil meritos uersa est omnis illa armosq; tempeſtas. Reuerſis poſtea in Alemaniam Friderico & Maximiliano, populus in diuerſas uoluntates ire cœpit. Nam erant, qui ductore Philippo Cliuenſi, Brugis cum Maximiliano ſancitam pacem tam diu ratam habere, ſancteq; cuſtodire uellent, quoad ſua ſociorumq; ſalus pateretur. Contra nitebantur alij qui ſe

HADRIANI BARLANDI

iunxerāt Alberto Saxoniae Duci. Hunc Frideri-
 cus & Maximilianus abituri Philippo Braban-
 tiae principi adhuc impuberi custodē, & nostra-
 tium constituerant gubernatorem provincia-
 rum. Louanium Bruxelia, Thenae, atq; alia quae-
 dam oppida cum Philippo Cluensi, Flandrorum
 defensore foedus percusserant. Buscoducenses
 medij & neutrius partis esse maiuerunt. Cate-
 rae maiores urbes Antuerpia, Mechlinia, Lya-
 sequitae Albertum leguntur. Hoc ciuili & inte-
 stino bello, non dicenda sunt utriusq; data, & ac-
 cepta mala. Bruxellensis miles Viluordiam ad-
 uersae factionis oppidulū cepit, captum incendio
 deleuit. Saxo Louaniensibus ademit Arscho-
 tum. Hic priuatis aedificijs, non ab hoste, sed alio
 casu iniectus ignis, adeo peruagatus est longe
 lateq; ut & loci templum sit incendio consum-
 ptum, postea tamen rursus erectum aliquāto ma-
 gnificentius. Ab eodem Duce Alberto sunt &
 Thenae occupatae. Huc multi mortales bona sua,
 ut in locū tutiorē initio belli conuexerāt, quae om-
 nia direpta penitus a militibus, & alijs faci-
 norosis, qui rapiendi studio, ut fit, armatis se im-
 miscue-

HISTORIARVM LIBER 2.

miscuerant. Annum unum & plus eo durauit
 hic motus ciuilis. Defuncto in Alemania Fride-
 rico, reuisit nostratia loca Maximilianus, una
 cum coniuge sua, quam recens duxerat filiam
 Ducis Mediolanensium. Hunc cum multis auli-
 cæ nobilitatis primatibus Traiectum ad Mosam
 ingressum Philippus, & Margareta florentes
 ætatibus liberi salutatum uenere, & felicem o-
 ptimo patri aduentum gratulati, abeuntem inde
 Louanium comitantur. Vbi præsentem patre,
 Philippus annum agens ætatis sextum decimum
 Brabantia principatui inauguratur. Phi-
 lippus nostra memoria bis adiit Hispaniam,
 semel itinere terrestri per Gallias. Iam
 primum huius ditionis limen ingresso, Ludo-
 uicus Picardie præfectus, uir clarissimus
 una cum proceribus eius regionis, obuians
 procedens, regijs uerbis salutem impertiuit,
 & felicem aduentum gratulatus est hospi-
 ti optatissimo. Parisijs non ut hospes, ue-
 rum ut numen quoddam cælo demissum exci-
 pitur. Nullum unquam suorum regum regalibus
 accepit Gallia, q̄ Philippū hospitem. Magnificen-
 tissimi

HADRIANI BARLANDI

rissimi sunt in urbe exhibiti ludi, occurrit uenie-
 ti senatus, occurrit scholæ princeps & rector,
 occurrit totus ecclesiasticus ordo. Et ut omnia
 essent ubiq; in Philippi aduentu gaudiorum ple-
 na, impunitas concessa est maleficis. In eius gra-
 tiam aperti carceres, tota Gallia uenia donata
 fontibus. Quumq; rex mandasset, ut Philippum
 nihilo secius q̄ semet exciperent, plusquam iussi
 fuerant, facientes, studio hunc illi prætulerunt.
 Ipse rex eundem summa cum ueneratione exce-
 pit in regia sua Blesensi. Illud memorabile, quod
 Turonis abeuntem ad quingentos fere passus de-
 duxerit, & sumptus omnes, quos numerosus ille
 ducis comitatus fecerat, in se receperit. Apud
 Nauarros quoq; regali munificētia est exceptus
 Philippus. Gallia sic peragrata, Hispaniam in-
 greditur. Quis hic triumphos recenseat principi
 singulis regionibus, singulis urbibus, singulis ui-
 cis exhibitos? Rex Ferdinandus uiuida adhuc
 uiridiq; senectâ socer, genero ætate florenti in-
 ter Oleas uiculum & Toletum urbem occurrit,
 salutatumq; in regiam suam Toletanam induxit.
 Post dies inde quindecim Castellæ principatui
inaugur

HISTORIARVM LIBER 2.

inauguratur. His peractis, uxor Ioanna filium ei
 peperit, cui nomen indidere susceptores aui ma-
 terni. Obiit igitur ad hunc modum Hispania, p-
 agrato iterum pari cum splendore Galliarum re-
 gno, Philippus in Sabaudiam uenit, ubi a sorore
 sui amantiſſima Margareta, incredibili eſt ma-
 gnificentiâ tractatus. Poſtremo in Germaniam
 proficiſcitur, ut quod ſorori præſtiterat, idem
 præſtaret & parenti. Sororem ſalutauerat, nunc
 & parentem ſalutaturus uenit. Qui non dubiũ
 eſt, quin lætitiâ animo perſenſerit longe ma-
 ximam, quum Philippum unice charum filium,
 tantis rerum ſucceſſibus auctum ex Spaniis re-
 ducem conſpiceret. Patre ſalutato in patriam re-
 diit. Vbi ad ſingularum urbium ingreſſum in-
 ſtaurati triumpho, quanq̃ uetuerat ipſe, & ne of-
 ficio ciuitates grauarentur, nonnunq̃ data opera
 ſubitus, & inexpectatus aduenire uoluit. Vidi
 ego tum puer Louanium ingredientem, urbis ſe-
 natu, ornatiffimi gymnaſij principe et rectorẽ,
 toto item ordine eccleſiaſtico obuiam proceden-
 te. Doctiffimus extat Panegyricus Eraſmi de
 hac Philippi in Spaniam profectione. Altera
 illa

HADRIANI BARLANDI

illa profectio est mari suscepta ineunte Ianuario. Vix medium iam classe tenebat iter, quum subito coorta est tempestas multo sæuissima, qua inuenio naues aliquot submersas, Philippo interim, & cæteris, quos eadem nauis habebat in singulas horas mortem expectantibus. Tandem munere diuino, cum reliqua classe in Angliam princeps eiectus, præter spem a rege magnifico apparatus, alacritate incredibili, magno eius insulæ hominum concursu & applausu excipitur. Hic commoratus aliquot dies, postea secundo uero in Hispaniam contendit, ubi rursus nulla oratione explicandis honoribus cohonestatus, moritur sexto Calend. Octob.

anno ætatis uigesimo

octauo.

HADRIA

NI BARLANDI HISTORIARVM

liber tertius, quo res maxime memorabi-
les continentur, quæ a Christo na-
to usq; ad annū xxxii. supra

M.D. contigerunt.

CHRISTVS NASCITVR.

Ima uirgo, Annæ et Ioachim filia,
A in Bethleem Iudææ Christum dei
filium enixa est. A cuius saluari
ortu ad nostra usq; tpa nouū opus inchoabitur.

Anno ii. Innocentes p Christo occiduntur.
Herodes, ut Christum nuper natum pderet, in-
fra bimatam uim puerorū ingentē necari iussit.

Anno sexto, perit Herodes.

Fœdissimo genere morbi Herodes periit, humore
lurido circa pedes & inguina oberrante, & pu-
tredine corruptis uirilibus, scatentibusq; toto cor-
pore ueribus.

Anno xv. moritur Augustus.

Decessit Augustus Cæsar, quum Iesus omnium
dominus decimum quintum ageret ætatis annū.

Annq

HADRIANI BARLANDI

An. xxx, xiii oppida motu terræ corruerūt.
Terra motus factus est ingens, quo tredecim cla-
ri nominis oppida uno tempore corruere, in
quibus fuerunt Ephesus, Magnesia, & Sardis.
& in Italia xx. hominum milia Fidenis subita
Amphiteatri ruina perierunt. Incidit hæc clades
in Tyberij Cæsaris annum quintum.

Anno tricesimo primo, tricesimo secundo,
tricesimo tertio, Christus docuit, & mira-
cula edidit.

Christus suam gloriã ccepit hominibus prædica-
tiõe & miraculis ostendere, docuit pietatem &
iusticiam, omniũ maxime charitatem, nec præce-
pit tantum, sed exemplo quæ præciperentur
præstitit. Frequenti conuiuio aquam in uinũ uer-
tit, cantaris infusa lympha sit falernum nobile.
Quinq; hominũ milia quinq; panibus & duobus
piscibus non solum exaturauit, sed duodecim etiã
corbium fragmenta superfuerunt. Cæcis uisum
reddidit, mutos uocales fecit, surdos, claudos, pa-
ralylicos nunc tactu, nunc uerbo curauit, & qd
omnium maximum fuit, Lazari sole iam quat-
to carentẽ, iã sepulchro absconditũ uitæ restituit.

Anna

HISTORIARVM LIBER 32

Anno xxxii. Baptista decollatur.

Ioannes Baptista Herodis iussu in Macheruntia arce est interfectus, quarto Calend. Septēbres.

Anno xxxiii. Iesum cruci affigunt Iudæi, & Stephanum lapidant.

IESVS cruci affixus est a Iudæis. Huius nephariæ cædis continuo cœlū manifesta dedisse signa legimus. Solis tanta defectio facta est, quæ nunq̄ alias hominum memoria. Terra horrenda mota est, & uelum templi conscissum a summo ad imum. Eodem anno Stephanum Iudei lapidauerunt tertio nonas Augustas.

Anno xxxvi. Persij poetæ natiuitas.

Persius poeta satyricus Volaterris Hetruriæ oppido natus est. Vir hic acerrimus fuit in notandis atq; insectandis Romanorum uitijs.

Anno xxxviii. Tyberij obitus.

Obijt Cæsar Tyberius in Campaniæ ora in uilla Lucullana anno uitæ octauo & septuagesimo quum tres & uiginti gubernasset.

Anno quadragesimo primo, Pilatus sibi manum infert, & Paulus conuertitur.

Pilatus Christi cædis autor magnis calamitatibus af-

HADRIANI BARLANDI

bus afflictus sibi manum intulit. Sunt qui dicant eum pœnitentiam egisse, & meruisse a Deo ueniam. Per idem tempus Apostolorum unus Mathæus omnium primus Hebraico idiomate Euangelium scribere est exorsus. Eodē anno octauo Calendas Februarias Paulus Tarsensis ad Christum est conuersus, qui in Stephani lapidatione Saulus nomine Celi sui specimen aliquod dederat, uestes seruando lapidationē auspicantium.

Anno xliiii. Petrus Romam uenit.

Petrus Bariona Christi Apostolus, natione Galilæus pluribus in Asia cōstitutis ecclesijs Romā petijt. Vbi predicans Euangelium primordia nōnæ fundat Ecclesiæ, cuius postea annos quinque & uiginti custos fuit & rector.

Anno xl v. Marcus Euangelium scribit.

Marcus ad Christum conuersus sacræ historiæ peritior factus, Euangeliū scripsit, quam ei p̄uincia Petrus iniunxit rogatu Christianorū. Legit pius doctor a discipulo scriptā historiā, et p̄baui.

An. xlviii. assumpta est Maria in cœlum. Maria Christi mater inclyta in cœlum assumpta est. Hic uirginis obitus incidit in quintum

Claudiij

HISTORIARVM LIBER AT 3.

Claudij principis annum.

Anno quinquagesimo secundo,

Fames in terra.

Prophético prædicta spiritu fames late euagata est. Meminit huius Suetonius, quum dicit Claudium Cæsarem arctiore annona quæ ob asfiduas sterilitates inciderat detentum quondam medio foro a turba, cõitiisq; ac simul fragminibus panis ita instratum, ut ægre nec nisi postico euadere in palatium ualuerit. Sunt & tres soles eodem tempore uisi.

Anno septuagesimo, Petrum & Paulum

Nero occidi iubet.

Petrus & Paulus a Nerone occiduntur, sed non eodem supplicio. Petrus pedibus in altum elatis cruci affigitur, quod supplicij genus sibi optauit, & Paulus gladio subiectus est. Per crucem alter, alter ense triumphans, uitæ senatus laureati possident.

Anno septuagesimo tertio, Hierosolyma expugnatur.

Titus Vespasiani filius Hierosolymam cepit, captam diripuit, mox incendit octauo die Septem

K

bris

HADRIANI BARLANDI

bris, quinto ferme mense q̄ obsideri cœperat, anno autem xl. post Christi passionē luit scelerum suorum supplicia impia gens, quæ postquã Christum crucifixerat, postea etiam discipulos eius persecuta est, Titus eam funditus evertit, ut adimpleretur uerbum domini prædicentis, Amen dico uobis non relinquetur lapis super lapidem quin destruatur.

Anno lxxxiii, incendium Romæ Anno insequenti Romæ totum triduum incendium durauit, in quo princeps Titus nihil nisi sibi publice perisse restatus cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinauit, præposuitq; complures ex equestri ordine quæq; maturius peragerentur.

Anno nonagesimo septimo, Domitianus Christianos persequitur.

Domitianus post Neronem Christiani nominis uiros atrociter est insectatus. Apostolum Ioannem in feruentis olei lacû deijci atq; inde incolu-
mẽ receptũ in Pathmon insulã deportari iussit.

Anno ceteresimo undecimo, Plinius ad Traianum scripsit, rogans quid de Christianis
fic-

HISORiarVM LIBER 3.

fieri uellet.

Plinius Secundus quum prouinciam administra-
ret Traiano scripsit multa se in suo magistratu
quodidie hominum milia occidere in quibus ni-
hil omnino sceleris inueniret, aut quod Roma-
nas offenderet leges, nisi quod antelucanos
hymnos Christo cuidam deo canerent. Hoc argu-
mento literis acceptis, Traianus rescripsit. non
esse inquirendos Christianos, si qui se offer-
rent, hos puniri oportere.

Anno cxxvi. terræ motus Antiochiæ.

Traiani tēporibus media hyeme in ciuitate An-
tiochia tantus accidit terræ motus, ut uis ingens
mortalium, ædificiorum ruinis perierit. Alibi
montes conuulsi subsederunt, alibi flumina repē-
te fluxerūt, defecerunt alibi. Multa præterea p
Asiam oppida pene ad excidium concussa sunt.

Anno centesimo trigesimo sexto, Quadra-
genarij ieiunij institutio.

Quadragenarium ieiunium ante paschales dies,
institutum est per Telephorum Pont. Rcm.

Anno cc. lix. Cypriani martyrium.

Cyprianus est martyrio admotus. Docuit is ab
K 2 initio

HADRIANI BARLANDI

Initio rhetorice, mox Ceciliij presbyteri hortatu ad unum & uerum deum conuersus, omnes facultates suas in pauperum usus erogauit. sacerdos primo, inde Carthaginensium factus Episcopus.

Anno trecentesimo decimo nono,

Floruit Lactantius.

Circa hæc tempora floruit Lactantius Arnobij Aphri discipulus. Is Nicomediæ quum Rhetoricen profiteretur, auditorum infrequētia offensus, animum ad scribendū appulit. Extant eius libri elegātissime scripti Institutionū diuinarū, & alia quædā. Perijt opus epistolarū quas scripsit ad Demetriū. Sunt q̄ eum in dicendi laude præmum a Cicerone nominēt. Docuit iam natu grādiior in Galliā Crispum Constantini filium.

Anno trecentesimo uigesimo tertio,

Arriana hæresis.

Orta est Arrij hæresis impio commento separe conantis filium ab æterna patris substantia, contra illud; ego & pater unum sumus.

Anno trecentesimo uigesimo quarto,

Concilium Nicenum.

Ne hæresis Arriana uenenum latius serperet.

Co.

HISTORIARVM LIBER 3.

Constantino autore concilium in Nicea indictum est, ad quod trecenti & amplius uenerunt antistites, estque eo uocatus Arrius Alexandrinae Ecclesiae presbyter. Hic decretum est ut filius Homousios patri scriberetur. Probatum est decretum a Constantino, & exilium his indictum qui non essent decreto aquieturi.

Arrius quia insanire non destitit exilio mulctatur cum aliquot alijs, qui sua stultitia periclitari & aliena sapientia seruari maluerunt.

Anno trecentesimo uigesimo quinto,

Sacrae crucis inuentio.

Sanctissimae crucis lignum est repertum, & cum eo quod saluatoris fuit duo alia subruta, unde duo pependerant latrones.

Anno trecentesimo trigesimo secundo,

Iuuenus poeta.

Vixit Iuuenus presbyter genere Hispanus, qui uersu heroico Euangelicam scripsit historiam.

Anno trecentesimo trigesimo tertio,

Athanasius ab Arrianis pulsus.

Athanasius Alexandrinae Ecclesiae Episcopus

HADRIANI BARLANDI

ab Arriana factiōe pulsus, ad Cōstantinū se cōtulit. Hic autor symboli cœlesti mente concepti aduersus impium Arrianorum dogma.

Annotrecentesimo sexagesimo, Victorinus & Donatus florent.

Romæ celebres fuerunt Victorinus Rhetor & Donatus grammaticorum peritissimus, quo puer Hieronymus præceptore est usus. Audiuit & Victorinum in arte dicendi.

Anno trecentesimo septuagesimo octauo, Pluit lanam circa Atrebatum, & pluribus locis per Europam terra intremuit.

Anno ccc, lxxxii. Romani a Gothis fusi in Thracia.

Anno supra trecentesimum altero & octogesimo Gothi Romanos exercitus fuderunt in Thracia. Hac pugna Valens Imperator sagitta saucius, uiuus in hostium potestatem uenit, & ad casulam quandam deportatus, incensa domo igni consumitur.

An. ccc. lxxxiiii. Martinus Episcopus. Martinus Episcopus Turonensis in Gallia uixit insigni uir sanctitate. Ad hūc referimus memorabi

HISTORIARVM LIBER 3.

morabile illā pallij partitionē, quo militē textit.
Decessit Gregorius Nazanzenus qui Hiero-
nymum docuit. Scripsit pie ac scite multa.

Anno trecentesimo nonagesimo septimo,
Augustinus fit Episcopus Hipponensis.

Augustinus beati Ambrosij discipulus in terra
Africa Hipponēsis est antistes factus. Tenuit
inde annos quadraginta eam sedem, scripsitq;
interea tantum librorum, ut mentitus credatur, qd
omnia eius scripta se legisse dicere est ausus.

Anno trecentesimo nonagesimo septimo,
Imperator Theodosius moritur.

Fato perijt Theodosius Imperator, cuius tempo-
ribus floruit Claudianus poeta insignis, Ale-
xandriæ natus, Aegypti urbe nobilissima. Diu
Romæ uersatus multas peragravit urbes Ita-
liæ. Floruit & Prudentius a quo multa adeo
pie scripta sunt, ut Christianum uirum facile
agnoscas. Hic ad summam peruenit senectutem,
& plurimis dignitatibus persunctus, perijt.

Anno quadringentesimo duodecimo, Ro-
mam capiunt Gothi.

A Gothis Roma capta est, edictum ab Halaricq

HADRIANI BARLANDI

Gothorum Rege propositum, ut capitale esset si quis Petri & Pauli templum uiolaret. Hoc tempore Romam olim gentium dominam triduo diripuit Gothus, exhausitq; spolijs ex omni terra quæsitis. De hac urbis miserabili captione Hieronymus, hæret, inquit, uox & uerba singultus intercipit, capitur urbs quæ totum cepit orbem, imo prius fame perit quam gladio, & uix pauci qui caperentur reperti sunt. Ad infandos cibos erupit esurientium rabies & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcat filio, & recipit utero quem nuper effuderat.

Anno quadringentesimo uigesimo secundo,

Obijt Hieronymus.

Hieronymus Christianæ pietatis assertor eximius, obiit centum circiter annos natus pridie Cal. Octob. Anno qui præcessit, Patauini Hunnorum metu ad mare compulsi, Venetiæ urbem condidisse traduntur.

An. cccc xxxiii. Decedit Augustinus. Insignis Ecclesiæ doctor Augustinus decessit anno ætatis septuagesimo sexto, Vandalis urbem Hipponensem in qua erat obsidentibus.

anno

HISTORIARVM LIBER 3.

Anno quadringentesimo quinquagesimo,
Athyla flagellū dei dictus, Italiā uastat.
Athyla Mandulci, Hunnorum regis filius, Ita-
liam ingressus, in maritima Carnorum ora sitā
urbem obsedit Aquileiam. Cōcordiam diripuit,
atq; incendio consumpsit. Patauium inde & Vi-
cetiā excidio dedit, cū multis alijs Italiæ locis.

An. quadringentesimo quinquagesimo iii.
Hunni Aquileiam euertunt Italiæ urbem.

Ab Hunnis capta & excisa Aquileia est, cum
triēniū eā obsedisset. Mātua, Brixia, Cremona,
pari clade affectæ sunt. Est & capta Rauenna.
Sed minus seuitū in hos populos, q̄ se deditisset.

Anno quadringētesimo quinquagesimo iiii.

Athylæ exitus.

Athyla profluuio sanguinis dormiens extinctus
est, cum ex Italia in Pannoniam reuersus iun-
ctæ sibi matrimonio Idilcone, nuptiarū die lar-
gius se uino et omnifariā crapula ingurgitasset.

An. quadringētesimo quinquagesimo sexto.
Roma direpta ē a Vādalis et Aphris. Duo popu-
li Urbē ingressi omnia sacra et pphana pmiscue
fœdauerūt. In præda egerēda dies cōsūpti xiiii.

HADRIANI BARLANDI

Homines omnis sexus & ætatis plurimi in
Aphricam asportati.

Anno quingentesimo quadragesimo octa-
uo, Roma Gothis prodita.

Totilæ Gothorum regi quatuor Isaurici milites
urbem Romam prodiderunt. In obsidione (quæ
prodicionem præcesserat) tanta fuisse legitur fa-
mes urbana, ut equinæ, & murinæ carnes, civi-
bus militibusq; cibatum fuerint. Per idem tempus
uictor Totilas furenti similis urbem euertere ad-
ortus, primo eam munitioibus nudauit, mox
plus tertia parte solo æquatis, capitolium inde in-
cendit, mox passim domus priuatæ & publicæ
subiectis ignibus deflagarunt. Deleta urbe, oem
cuium multitudinem eiecit. Hic omni humano
cultu deserta Roma quondam rerum domina ma-
gnum omnibus documentum esse potuit, nihil hu-
manæ felicitati credendum esse.

An. quingentesimo septuagesimo, Prodigia.
Ignæ acies in cælo uisæ sanguine manâtes, fœ-
dissima pluuiæ tempestas fuit. Rhodanus adeo
creuit, ut longe lateq; suas aquas fuderit. Cre-
uit & Tyberis, quæ prodigia Longobardorum
in Ita

HISTORIARVM LIBER 3.

in Italiam sequutus est ingressus.

An. sexcētesimo septuagesimo vi. Prodigia.
Caelum maximo spectantium terrore decem dies est uisum ardere, & mox triennio insequenti cometes tribus mensibus apparuit, cecidit de caelo pluuia perpetua, horrenda tonitrua audita sunt, creberq; fulminum casus, maxime p Italia.

Anno septingentesimo, mense Ianuario Per dies quindecim, uisi sunt cometæ duo, unus mane, uesperi alter. Sequuta est atrox pestilentia, quæ Constantinopoli trecenta milia hominū absumpsit. Malum inde ortū traditur, quod Gallia & Hispania pulsæ a Carolo Martello Saraceni quum triennio urbem obsedissent, maxima interim rerum omnium inopia ciues laborauerint.

An. septingentesimo xvii. Prodigia.
Tyberis quantus nunquam alias hominum memoria portētoſo actu fluxit septem dies totos, intra extraq; urbem iacuerunt omnia aquis obruta. Inuenio & lunam per eos dies obtenebratam a prima usq; tertiam noctis uigiliam, & colore suffusam fuisse sanguineo.

An. septingentesimo septuagesimo secūdo.
Hadri

HADRIANI BARLANDI

Hadrianus Primus Pon. Rom.

Romæ Pont. declaratur Hadrianus Primus nominis huius, uir Romani sanguinis, clarisq; natalibus ortus, q; ad pontificatum euectus, talem se gessit, ut neq; patriæ, neq; domesticæ defuerit nobilitati. Fuit huius administratio ob id etiã memoratissima, q; tam diu pene præfuit q; Petrus. Quatuor enim et uiginti impleuit annos, minus mensibus duobus.

Anno septingentesimo septuagesimo sexto,
Euersio Longobardorum in Italia.

A Carolo Magno euersi Longobardi in Italia regnare desierunt. Circa hæc tpa domiti ab eodẽ Saxones, Christi fidem populariter susceperunt.

Anno septingentesimo nonagesimo.
Sanctorum imagines templis restitute.

Conuentus trecentorum quinquaginta antistitiã est Niceæ celebratus. In quo decretum legimus, ut sanctorum imagines templis restituerentur. Atq; ita abrogatum Constantinianæ synodo, qua sancitum fuerat, ut sanctorum simulachra e sacro tollerentur.

Anno septingentesimo nonagesimo primo,
Pari-

HISTORIARVM LIBER 3.

Parisiacæ & Papiensis scholarū institutio.
Carolus Parisiense gymnasium & Papiense uir-
ris undiq; doctissimis accersitis instituit.

Anno octingentesimo primo,

Carolus Magnus fuit Imperator.

Carolus cognomēto Magnus, a Leone tertio Pō-
tifice Romanorū Imperator consecratur in Vati-
cano templo Barionæ, & ad aram maximam e-
iusdem templi inungitur. Carolus tum regnaue-
rat in Gallijs annos triginta tres. & Italia iam
trecentos annos & triginta sine imperij nomi-
ne fuerat.

Anno octingentesimo xv. Obitus Ca-
roli Magni, statura, studia, mores eiuscæ.
Carolus Magnus breui temporis spacio duobus
amissis filijs, ut Ludouico qui unicus masculi-
næ stirpis supererat, gradum faceret ad Impe-
rium, celebri totius Gallicæ conuentu consortem
declarauit imperij. Eodem anno Carolus fatali
morte consumptus est, anno uitæ septuagesimo
primo, ut alij secundo, v. Cal. Feb. Regni xlvi.
Romani Imperij xiii. Aquisgrani sepultus, in tē-
plo a se constructo. Monumēto eius inscriptum.
Caroli

HADRIANI BARLANDI

Caroli magni Christianissimi Ro. Imp. corpus
hoc conditum est sepulchro. Mortem eius præ-
cessit deliquium solis. Idem annus quo princeps
tantus ex humanis decessit, lunam ter uidit ob-
scuratam. Aquisgrani in templo iecta fulmine pi-
la concidit. Eodem loco & porticus a palatio ad
templum ducēs corruit. Pons quē idem Carolus
Mogūtiæ ædificauerat igni totus cōflagrauit.

Puto non ingratum fore studiosis rerum co-
gnosendarū, si hic subtexam paucis quæ de sta-
tura, studijs, & moribus tanti Imperatoris apud
scriptores inuenerim. Corpore igitur fuit
amplo & robusto, excelsa statura, oculis prægrā-
dibus, ac uegetis, hilari facie, incessus illi firmus,
& tota corporis habitudo uirilis, clarior uox quā
ut corpori tanto conueniret, prospera ualetudo
præterquā quod proximo ante obitum quadriennio sæ-
pius febris sit conflictatus. Dicēdi facultate mul-
tum ualuit, nec latini sermonis peritia contētus,
etiam peregrina studia sectatus est. Liberalium
artiū studia indulgentissime fouit, impensissime
adamauit, eorumque professoribus honoris pluri-
mum exhibuit. In Græcis percipiendis operam
dedit

HISTORIARVM LIBER 3.

dedit Petro Pisano cuidam. In cæteris disciplinis Rhetorica, Dialectica, & Astronomia præceptore est usus Alcuino Britannico, quem uirum in primis coluit. Mirum fuit in Carolo uenandi & equitandi studium, exercuit et corpus frequēti natatu. Filios doctissimis erudiendos tradidit præceptoribus, amplissima promittens atq; dissoluens salaria. Neq; enim ignorabat, quo quisq; eruditior esset, eo faciliorem clarioremq; doctrinam ministrare, neq; parentum nomine dignos iudicabat qui agros, qui uineta, qui iumenta quoq; pluris facerent q̄ filios. Cibi erat ualde temperans, q̄q̄ ieiunia corpori suo noxia querebatur, uini adeo parcus, ut non amplius ter quater super cenam aut prandium biberet. In cibo feruina maxime appetebat, cõuiuia rarius agitare, ac non nisi festis diebus. Traditur & illud nuq̄ eũ sine docto colloquio, aut historica lectiõne cibũ cepisse. Quũ semel optasset sibi, ac sæculo duodecim uiros Hieronymi et Augustini similes, adstans forte præceptor Alcuinus. Tu uis, inquit, habere duodecim, quum ipse Christus cæli ac terre dominus horum similes ea tempestate plures non ha-

HADRIANI BARLANDI

non habuerit. Pietatis ac religionis Christiane tam diligens cultor fuit, ut non tantum missis et sacrorum interesset horis, sed et hymnos & psalmos interdum caneret, ceu ex initiatis ac sacrificis unus, templa diuis erexit, ueram religionem obseruauit etiam in minimis. Iniurias illatas ciuili animo tulisse, in hostes raro acerbius scuisse traditur.

Anno octingentesimo decimo sexto,

Ludouicus Caroli filius coronatur.

Stephanus huius nominis quartus Pontifex, in Galliam ad Ludouicum Imperatorem profectus, eum diademate cinxit.

Anno octingentesimo uicesimo nono,

Saraceni in Italia.

Saraceni Italiam inuaserunt, et captis Centumcellis oppido in ora Heetruriae, inde citato agmine Romam profecti sunt. Vrbs non est capta, sed Vaticano, quod nullis adhuc erat munitionibus septum, facile occupato diui Petri templum, ferro & igni hostis prophanauit.

An. octingentesimo xxv.

Mala multa & facta prodigia traduntur. In Gal

lijs ar-

HISTORIARVM LIBER 3.

liis arbor pedum quadraginta altitudine, crassitudine bisseptem sua sponte in diuersum locum transiit. Apud Saxones aliquot milibus passuum terra in speciem aggeris intumuit. Terræ motus factus est magnus, quo uillæ & agrestia ædificia cœlesti igne conflagrarunt, lapides grandine mixti e cœlo ceciderunt.

Anno octingentesimo quadragesimo,
Ludouici decretum.

Ludouicus Imperator paternæ pietatis æmulus sanxit, ut qui sacris initiatus esset, nulli hominis seruitio subiiceretur, nec ulli se quæstui dederet, omnem enim quæstum huic ordini turpem esse putabat.

An. octingentesimo xlii. Vnde orta nominis mutatio in Pontificibus Romanis.

Sergio secundo huius nominis Romano Pontifici cū Os porci diceretur, ad obscenam appellationis uocem tollendam, datum est, ut aliud sibi nomen eligeret. Mansit deinde consuetudo, ut qui Pontifices crearentur omissa priore nomine, acciperent sibi unum aliquod ex Pontificum, quæ antea sedissent, nominibus.

L Anno

HADRIANI BARLANDI

Anno octingentesimo quadragesimo tertio,

Mulier Pontifex Romæ.

Mulier uirilem mentita sexum post decessum Leonis quarti Pontificatum est adeptæ. Vocarunt Ioannem Septimum. Serui domestici cōcubitu facta grauida cum die quodam Lateranensem Basilicam inuiseret, enixa est subito abortis partus doloribus, atq; ibi loci extincta, anno q̄ creatus fuerat secundo.

Anno octingentesimo sexagesimo nono,

Prodigium.

In agro Brixienti triduo sanguinem pluit.

Anno octingentesimo lxx. Prodigia.

In Galliauis ingens locustarum orta, senos pedes habentium omnia populata est, donec uentorum uiolentia in Oceanum propulsa, fluctibus obruta perierunt, fetore suo aerem infecere, cum enectas Oceani æstus in littora iecisset, hinc tetra sequuta est pestilentia. Roma quoque prodigioso Tyberis auctu sic inundata est, ut tota fere lintribus enauigaretur.

Anno Millesimo,

Fames in Italia, Visus Cometa.

Inaudi

HISORIVM LIBER 3.

Inaudita fame laboratum est in Italia. Visa in
caelo stella crinita prodigiosa magnitudine &
forma, terraq; horrende mota est, quo motu con-
cussæ sunt urbes plurimæ.

Anno Millesimo duodecimo,
Turcæ Hierosolymam capiunt.

A Turcis capta fuit Hierosolyma. Hic abstinuit
hostis a Christi regis sepulchro, & sacrarum
ædium uiolatione. Quo anno hæc est in Syria
accepta clades, lunam cruento aspectu apparuis-
se, & terram prodigiose motam legimus. Fax
ardens instar turris cum magno fragore e caelo
uisa est cadere. Mare solito latius excurrit, urbes
aliquot cū multa hominū strage inundatæ sunt.
In Lotaringia, quæ Gallorum puincia est, fons
aquæ in sanguinem uertitur. Fames & pestilen-
tia deinde sequitæ, quæ tantā hominum uim ab-
sumpsisse traduntur, ut pene plures uita defun-
cti sint q̄ seruati.

Anno M.lxi. Monstrum.

Monstrum hominis in Britannico pago natum ē,
geminum caput, quaterna brachia, omniaq; gemi-
nata, umbilico tenuis habuit. Infra tantum mulie-
rem

HADRIANI BARLANDI

brem sexum ac cætera singula, ridebat, loquebatur, alternis uescebatur gemino ore. Quum ad pubertatem peruenisset, una demum parte mortua, superuixit reliqua totos tres annos, quæ tandem fetoris tædio & onere partis extinctæ, fato cessit.

Anno millesimo cætogesimo octauo,

Diui Bernardi professio.

Bernardus patria Burgundus, claris ortus natalibus monasticum induit habitum, & cum eo triginta alij, omnes insigni pietate uiri.

Anno M. nonagesimo septimo,

Prodigia.

Prodigia aliquot hominū oculis obuersata sunt. Mare uiginti passibus, alij centum scribunt, præter solitum littora inundauit. Visus est et cometes miræ magnitudinis, his obseruatis prodigijs, antistes quidam Antichristum natum esse affirmare non dubitauit.

Anno millesimo nonagesimo nono,

Recuperata per Christianos Hierosolyma.
Christiani Hierosolyma ceperunt, ductu Gottho

HISTORIARVM LIBER 3.

thofredi Lotaringæ ducis, qui primus in hostiũ
muros transcendere est ausus. Barbarorum cæ-
des tota urbe facta, quarto Nonas Iulias urbs
sancta recepta. Postridie lustrata etiam templa,
supplicationes habitæ, sacri in numen hymni can-
tati, quod tales de Barbaris triumphos præberet.
Vrbis captæ uictoriam sequuta est alia hostium
clades, centum milibus Turcarum simul, & Sa-
racenorum in prælio circa Asdoniam cæsis.

Anno centesimo octauo. *Prodigia.*
Prodigia quædã facta sunt. Sus foeta in Gallia,
porcellum enixa est humana facie. Gallinaceus
quatuor pedibus natus. Intolerandi frigoris hy-
ems, & mox fames sequuta est, cum multa ani-
malium lue & pernicie. Innumerae aues aperto
cælo dimicantes, exanimæ ad terram fluxerunt.
Per dies quadraginta in Italia sic terra tremuit,
ut uilla quædam tremoris uehementia, in alium
locum sit translata.

An. M. centesimo trigesimo quarto.
Conditũ ẽ cenobiũ Tongerlẽse apud Brabatos,
in quo præter multã religioẽ, etiã ẽ inges edi-
ficioz apparatus, et horti amcenissimi circũiecti.

HADRIANI BARLANDI

An. M. centesimo, sexagesimo primo.
Louanij tēplū diui Michaelis ædificari cceptū ē.

An. M. centesimo sexagesimo octauo,
Magorum corpora aduecta Coloniā.
Trium Magorum corpora olim e Persarum regi-
one Mediolanum translata, a Rodolpho Colo-
nienſium archiantiftite Coloniā Agrippinā
deportantur.

Anno M. centesimo septuagesimo primo,
Terræ motus in Syria.

Ingens fuit in Syria terræ motus. Antiochia
tripolis & Damascus magna ex parte cecide-
runt. Catinæ, quæ Siciliæ urbs est, quinq; & ui-
ginti hominum milia, tectorum ruinis oppressa
sunt, Italia prodigiosa grandine cōcussa est, quæ
sparsa iacuit in speciem ouī anserini.

Anno M. centesimo septuagesimo sexto,
Louanij incendium.

Pridie Laurentij, totum fere Louanium flammis
absumptū est una cum templo diui Petri.

Anno M. centesimo octogesimo sexto.
Hierosolyma octauo & octogesimo anno q̄ a
Gottophredo & alijs Ducibus Christianus fue-
rat rece-

HISTORIARVM LIBER 3.

rat recepta, in manus recidit impiorum. Post receptam urbem, omne æs campanum est e turribus depositum, & templa prophanata.

Anno M. centesimo nonagesimo octauo,
Caritas tritici.

Louanij uendebatur modius tritici sexaginta tribus solidis.

Anno M. ducentesimo sexto,
Dominici obitus.

Dominicus Calaguritanus totam prope Europã puagatus, Bononice est uita defunctus, & post Gregorio nono diuorum catalago adscriptus.

Anno M. ducentesimo septimo,
Franciscanorum origo.

Instituta est minoritanorũ religio, totum terrarum orbem una hæc familia impleuit.

Anno M. ducentesimo decimo quinto,
Ordo crucigerorum.

Lateranensi conuentu probatus est ordo crucigerorum, qui inde nouien sunt adepti, quod perpetuo cruce gestet dominicæ passiois monumentũ.

Anno M. ducentesimo decimo sexto,
Probatas a Pont. Dominicalium ordo.

HADRIANI BARLANDI

Honorius Pontifex Dominici Calaguritani recens institutum probauit.

Anno M. ducētesimo sexagesimo tertio,

Albertus Magnus, & Thomas Aquinas. Vixerunt uiri ingenio clari, Albertus qui ob doctrinæ amplitudinem Magni cognomē accepit, Et Thomas Aquinas, prædicatorij nominis ambo. Thomas in Germaniā profectus operā dedit Alberto, p̄ quē in studijs adeo p̄fecit, ut in Parisiensi gymnasio primū sit locū adeptus. Magnus Albertus Ratisponensis factus antistes, Louanij in æde Dominicaliū, anno salutis M. cc. lxxvi. cōsecrauit altaria duo. Vnū Ioanni Baptistæ, & Euangelistæ, Diuæ Catharinæ Costi regis filie alterum. Consecrationis huius literas Magni effigie obsignatas, ostendi iussit mihi pius uir & eiusdem cœnobij prior D. Ioannes Stollarus Bergensis, nunquam non amico gratificari paratus, si quid est in quo requiras officium.

Anno M. ducētesimo octogesimo viii.

Inundatio regionum.

Mense Ianuario insigniter inundatus est ager Hollandiæ cum sceda domorum & animalium strage

HISTORIARVM LIBER 3.

strage. Eodem anno mare Phrisiam, Hollandiam, Selandiam & Flandriæ partem prodigiose inundauit. Ab hoc diluuiò in Selandia sola fuit immunis Gualachria, cum pago qui uulgo dicitur Volferts dijk.

Anno M. trecentesimo quinto.

Translatio sedis Apostolicæ in Galliam. Aula Pontificia in Galliam translata est. Exciuit eam ex Italia Clemens quintus recens electus Pontifex. Tunc egressa Italiæ sinibus apostolica sedes absuit annos quatuor & septuaginta.

Anno M. trecentesimo septimo.

Sublati Templarij.

Templariorum religio sublata est ob defectiõnem ad Saracenos ut quidam scribunt. Alij alia narrant.

Anno millesimo trecentesimo nono,

Rhodum Christiani recipiunt.

Nostri Rhodum insulam ex hostibus fidei receperunt. Rhodianæ militiæ uiris, qui eam a Turcarum imperio armis uindicauerant, Pontifex tuendam dedit.

HADRIANI BARLANDI

Anno M. ccc. xv. Maximis malis afflictæ Brabantia cum finitimis locis.

Brabantia, & finitimæ regiones afflictæ sunt maximis malis. Post Calendas Maias orta pluvia, quæ menses duravit plus minus decem. Ex qua intemperie, cum in agris neq; frumentum, neq; alia homini & pecudibus necessaria maturascere possent, summa omnium rerum caritate, non uno loco ceptum est laborari, quæ caritas progressu temporis adeo inualuit, ut quidam perdididerint ab homine nato maiorem non fuisse.

Tritici modius Louanij emptus est nouem florinis. Mendici in uijs, in portis, pro templorum foribus, inedia efflabant animas. Hanc annonam sequuta est tanta pestilentie uastitas, ut quotidie in singulis pene oppidis sexageni, septuageniue efferrentur, quorum alij sexta die, alij tertia, multi secunda, nonnulli statim in ipso morbi aduentu extinguebatur. Multitudo omnis perterrita, in montes, syluas & loca deuia fugiens, uacuis errabat in agris. Alij in templis diuorum aris affixi diuinam implorabant opem. Hic filios, ille parentem lugebat ademptum, alius fra

HISTORIARVM LIBER 3.

us fratrem, alius sororem desyderabat. Explicari oratione non potest, quanta fuerit eius temporis calamitas, qui genitus, quæ lamentationes nocturnæ diurnæq;. Per eadē fere tempora obseruatus est in cælo Cometes diro aspectu, magna luce radios suos emittens. Vulgo putatur hoc prodigiij summis principibus exitium, aut bellum, aut pestilentiam aliquam populo portendere.

Anno M. trecentesimo tricesimo octauo,
Angliæ rex Antuerpiam appellit.

Eduardus nominis huius Anglorum rex tertius, cum classe quadringentarum nauium applicuit Antuerpiam pro Normania recuperanda bellū illaturus Francorum regi Philippo quinto.

An. M. ccc. xl. Agger restitutus in Lilloe, q̄ locus inter Antuerpiā et Bergas uisitur. Ioannes eius nominis Brabantiae Dux tertius reparauit & restituit maritimum aggerem in Lilloe, qui locus amplius quinquaginta tribus annis fuerat inundatus.

An. M. trecentesimo quadragesimo secūdo.
Incendium Mechliniæ, Pestilentia.
Mense Maio est Mechliniæ ortum incendium,
q̄ t̄

HADRIANI BARLANDI

q^d adeo late serpsit, ut uix domorū sexta pars relicta sit. Per idem tempus diuersis locis adeo inclementer seuijt pestilentia, ut uiui pene deessent qui sepelirent moriuos.

Anno M. trecentesimo quinquagesimo iii.

Pestilentia. Iudæi combusti.

In Italia bestiolæ immensa multitudo e cælo deciderunt, quæ extinctæ & putrescentes uersum cæli tractū grauiter infecere, dira hinc orta est pestilentia. Sunt & Iudæi combusti in Germania, qui consilia inter se agitauerant de puteis ueneno inficiendis, ut Christianum nomē ex ea terra tollerent.

Anno M. trecentesimo septuagesimo vii.

Borsalia Selandiæ inundata.

Sub festum Dionysij mare prodigioso actu Borsaliam, totā. quæ apud Selandos Suisbeuelandiæ pars est, inundauit. Borsaliæ adiacent pagi tres, Bacendorpia, Barlandia, & Antiqua terra, quos tum solos diluuialis eruptio illa inaccessos reliq̃t.

Anno millesimo quadringentesimo.

Annatarum usus Romæ.

Annatarū usus Ecclesiasticis sacerdotijs a Pon.
Bona

HISTORIARVM LIBER 3.

Eonifacio adscriptus est, ut qui beneficium indispiceretur, dimidium annui proventus Pontificio solueret fisco. Probatum est id decretum ab omnibus gentibus, soli Angli in minoribus sacerdotijs repudiauerunt.

Anno millesimo quadringentesimo tertio.
Turcarum Imperator capitur.

Tamberlanes humili loco inter Scythas natus, Iberis, Albanis, Persis, Medis, inde Armenia & Mesopotamia ui subactis, Paia Zetem potentissimum Turcarum regem secum acie congressum, praelio uicit. Ducenta Turcarum milia caesa. Rex ipse in pugna captus est, quem aureis uinctum catenis, omnibus suis expeditionibus praese egisse traditur.

Anno millesimo quadringentesimo x.

Conuentus Pisanus.

Pisanus conuentus est habitus, ad quem proficiscens archiepiscopus Remensis, Genuae occiditur. Eodem anno Prussiae magnus magister sudit quadraginta milia Saracenorum, qui postea reparatis uiribus in Christianos regressi fuderunt milia lx. Hic perijt & M. Prussiae magister. Anno eodem direptum

HADRIANI BARLANDI

direptum est a Burgundionibus oppidum sancti
Dionysij cum monasterio eiusdem nominis. Ca-
ptus abbas & monachi.

An. M. quadringentesimo decimo tertio,
Popularis tumultus in Francia.

In Francia populari exorto tumultu maximis
sunt affecti incommodis qui apud regem publi-
co in munere essent.

An. M. cccc. xiiii. Bellum inter Fran-
cum, & Burgundū. Cōstantiense cōciliū.
Rex Franciæ bellum suscepit cum Duce Burgū
do. Obsessum est Atrebatum. Per Brabantia dū-
cem, & Hannonum comitem facta pace, libera-
ti sunt obsidione Atrebrates. Eodē anno celebra-
ri cceptum est conciliū Cōstātiense ad tollendū
schisma qđ plus triginta annos durauerat.

An. M. cccc. xv. Sigismundus Imp. in
Galliam, in Angliam uenit.

Imperator Sigismundus Parisios uenit. Postea
anno decimo septimo ex Gallia cum Hannonum
comite in Angliam traiecit, ad pacem componen-
dam inter eius insulæ regem & Francum. An-
no eodē Sigismundus, Angliæ rex et Burgun-
diæ dux

HISTORIARVM LIBER 3.

diæ dux Caletum applicuerunt, de eadem pace tractaturi. Hoc etiam anno Sigismundus Comitem Subaudiæ Ducem fecit.

An. M. quadringentesimo decimo septimo,
Martini Quinti Pont. creatio.

Otho Columnius uir Romani sanguinis Pont. Max. declaratur, ad tertium Idus Nouemb. Martini quinti appellationem ferre uoluit, quia eiusmodi creatio in diem, qui diuo Martino sacer est, incidit. Pro qua creatione supremi ordinis antistitibus coram gratiæ sunt actæ a Sigismundo Imperatore, & eodem anno sublatum est schisma quod præcesserat.

An. M. quadringentesimo decimo nono,
Indigna cædes Ioannis Burgūdiæ Ducis.
Cæsus est Monstrioli Ioannes Burgūdiæ dux, quam ob cædem Galli sunt postea armis inclementer uexati.

Anno M. cccc. xx. Dissidium inter Ioannem Brabantiae ducem, & huius uxorem. Ortū est dissidium inter Ioannē Brabantiae Ducem & Iacobam huius uxore. Quod postea bellum ingēs & multa sanguinis effusio sequuta ē.

Anno

HADRIANI BARLANDI

An. M. quadringentesimo uigesimo primo,

Pagi lxx. apud Hollandos inundati.

Nocte quæ præcessit festum Elizabeth, ui tempestatis, & aquarum uolentia ruptis aggeribus in Hollandia pagi septuaginta periere. Sunt & in Phrisia & Selandia euersæ domus ac uillæ. Perijt ingens quoq; mortalium numerus, frustra alij editiora loca camporum, alij turres ac tecta petebāt. Spumeus amnis exiens, oppositas euicit gurgite moles, Fertur in arua furens cumulo, camposq; p omnes Cum stabulis armēta trahit.

An. M. cccc. xxii. Iacoba Ioannis Bra-

bantiæ ducis uxor Anglo nubit.

Gloucestrio in Anglia Duci nupsit Iacoba a Bawaria, priore adhuc uiro Ioanne in humanis agente. Anno proxime insequenti late euastata est insula Cyprus.

An. M. quadringentesimo uigesimo iiii.

Vastatur Hannonia.

Dux Gloucestrius cum Iacoba ex Anglia Caletum uenit, & Hannoniam cum exercitu ingressus, loca quædam ui occupauit.

Anno M, cccc. xxv.

Cyprus

HISTORIARVM LIBER 3.

Cyprus a Saracenis occupata.

Saraceni in Cyprum reuersi, magnis eam gentem cladibus affecerunt.

An. M. cccc. xxvi. Capitur Cypri Rex a Soldano, Louaniensis scholæ initium, Anglos fundit Burgundiæ Dux.

Plures Christiani principes in Cyprū nauigauerūt, ut auxilio eius insulæ Regi esset cōtra Soldanum Aegypti. Hoc bello captus Cypri rex a Soldano in carcerē ducitur. Pecunia ingēti adnummata eundē postea redemptū inuenio. Anno eodē cceptū est doceri publice in Gymnasio Louaniēsi, quod Brabantiae Dux Ioannes eius nominis quartus iā recēs cōdiderat. Fuit & hic annus ille quo Iacoba Ioannis quē modo dixi, Brabātiae ducis uxore Herlemū Hollādiæ obsidēte, dux Burgūdiæ Philippus memorabili praelio uicit Anglos, cæsis iii. hominū M. ex omni ætatis flore selectis. Cōmissa ē hæc pugna apud brouyvershausam Selādiæ, die festo Pōriani, mēse anni primo.

An. M. cccc. xxvii.

Mors Ioannis Brabantiae Ducis.

Ioannes Brabantiae Dux eius nominis quartus

M mortem

HADRIANI BARLANDI

mortem obiit, ante diem resurgenti domino festum, ætatis anno uigesimo quarto. Conditorium eius uisitur Vuræ ante aram maximam, in æde Ioanni Euangelistæ sacra. Fuit hic dux in rebus aduersis omnino forti & infracto animo, iusti atq; æqui tenax, nemo religionis studiosior, nemo dei amantior, nemo affabilior, nemo clementior. Adeo munificus in pauperes, ut ij uno ore omnes Ioannem pauperum patrē appellauerint.

Anno M. cccc. xxviii. Iacoba præfecit Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ & Phrisiæ Philippum Burgundiæ Ducem.

Iacoba defuncto Ioanne quarto marito suo constituit Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ & Phrisiæ primum gubernatorē Philippum Burgundiæ Ducem cognatum suū, qui tum alijs rebus implicitus cum fidei suæ concreditis populis adesse nō posset, Franciscum quendam, equitem auratum Borsaliæ dominum his præfecit. Eodem anno tā horrende mota & concussa est terra pluribus locis, q̄ unq̄ alias hominum memoria. In Catalonia, quæ Hispaniæ regio ē, hoc tremore uiginti oppida sunt euersa. Hūc terræ motum sensit & Aquila

HISORiarVM LIBER 3.

Aquitania, senferunt & Gallia.

Anno M. quadringentesimo trigesimo iiii.

Iacoba nupsit Borsaliae domino.

Iacoba magnis & amplis a Francisco Borsaliae domino acceptis muneribus, & pecunia dono data in summa inopia rerum omnium, quem amicū senferat in rebus aduersis, eum postea maritum clam accepit. Qua re audita, comprehendi Borsalum iussit Philippus, & custodiri in arce Reparamundana apud Flandros ad Scaldim sita. Multis cum lachrymis sequuta ducem Iacoba uirum suum repetit. Negatum aliquādiu pertinaciter, ijs tandem legibus reddidit Philippus, ut sibi cognato Iacoba cederet Hannoniae, Hollandiae, & Selandiae comitatus cum Phrisiae principatu, pro quibus acciperet ipsa cum uiro suo comitatū, uulgo dictum Oesteruant, oppidum Brilense, insulam Suitbeuelandiae, & quaedam alia.

An. M. quadringentesimo tricesimo vi.

Obitus Iacobae.

Pridie Dionysij excessit e uiuis Iacoba quam dixi, cum in malis plurimis, & animi doloribus Hannoniae atq; Hollandiae praesuisset annos no-

HADRIANI BARLANDI

uendecim. Sepulta est apud Hagam Comitibus illa
iuxta monumentum Ducis Alberti aui sui.

An. M. quadringentesimo trigesimo ix.

Græci uniuntur Ecclesie Ro.

Romanæ Ecclesie uniti sunt Græci promulgatis
unionis decretis, & actis publice Deo optimo
maximo gratijs.

An. M. cccc. xl.

Inuentio impressoriae artis.

Friderico tertio regnante ars impressoria est in-
uenta apud Moguntiam Germanicæ ciuitatem.

An. M. quadringentesimo quadragesimo iiii.

Dissensio in Hollandia.

Orta est in Hollandicæ comitatu perniciosissima
illa dissensio, quæ populū in duas factiões diuise-
rat. Alteri ab hamo, alteri a pisce asello nomen
inditū erat. Ciuitati cū ciuitate nō conueniebat,
frater fratri minabatur exitium, filius patrē suis
manibus extinctū cupiebat, utrinq; cædes, utrinq;
innumera sunt ædita latrocinia. Scēuit multos an-
nos tota Hollandia hoc malum longe teterrimū,
ac nescio an etiamnum reliquæ supersint pe-
stis huius. Eodem anno Amurathes Turca-
rum

HISTORIARVM LIBER 3.

tum Tyrannus ad Vernam, locus est in ora Pontici maris, Christianorum exercitus stravit. Hoc praelio perijt Vladislaus Poloniae Rex, dum Amurathis castra ferociter adortus munitiones hostium transcendere conatur.

An. M. cccc. xl. vii. Nicolaus Quintus Pontifex, linguae Latinae instaurator.

Creatus est Pontifex Max. Nicolaus quintus, quo etiam anno ipse Bononiensis factus erat antistes, roseoque insignitus galero. Per hunc Pontificem Latina lingua magna ex parte suum recepit cultum. Doctus enim ipse doctos coluit, & praemijs inuitavit ad Graecos scriptores in latinum uertendos. Nullo unquam saeculo magis uerum est compertum illud. Sint Mecenates, non deerunt Flacce Marones.

An. M. cccc. quinquagesimo ii. ut alij iii.

Capitur Constantinopolis a Turcis. Constantinopolis oppugnatur a Turcis, & capitur, Orientis columen, & unicum Graecae sapientiae domicilium. Ciuitas triduum uexata atque ad arbitrium impotentissimi uictoris direpta est.

Nicolaus Quintus

M 3 Roma

HADRIANI BARLANDI

Romanæ præerat Ecclesiæ, & Fridericus germanis imperabat.

Anno M. cccc. lviij.

Conflagratio Aedis diuo Petro sacrae.
Louanij conflagrauit templum diui Petri, a qua conflagratione nouum est quod nunc in eadem urbe uisitur adeo eleganti structura, ut architectorum iudicio nullum pluribus locis inuenias pari pollitæ. Annus quo fuit hoc incendium his quatuor uerbis cõtinetur. Ecce ignem Louanij ecce.

Anno M. cccc. quinquagesimo septimo.

Itali cœperunt imprimere libros.

Libraria impressio apud Italos uulgari cœpta ẽ.

An. M. cccc. lix.

Mantuanus conuentus.

Pius secundus Pontifex publicum Mantuae conuentum indixit, estq; eo concilio actum de bello in Turcas comparando. Sed tam pia expeditio propositum non tenuit, Italiae populis ad domestica bella magis, q̃ externa inclinantibus.

An. M. cccc. lxxvii.

Mors Philippi Burgundiae et Brabantiae ducis.
Burgundiae & Brabantiae Dux Philippus decessit

HISTORIARVM LIBER 3.

cessit Brugis ad decimum septimum Calen. Iul.
 Cum uixisset annos septuaginta tres, & admi-
 nistrasset triginta septem. Corpus eius cum ali-
 quandiu insepultum mansisset in æde Donatia-
 ni ad aram maximam, inde tandem auectum, in
 Burgundiam Diuione in Carthusiensium mona-
 sterio sepelitur.

Anno M. cccc. lxxviii.

Capitur Leodium.

Carolus superioris Philippi filius Leodium acri
 bello adortus uic cepit, captum direptumque so-
 lo æquauit.

Anno M. cccc. lxx.

Turca Euboiam occupauit.

Euboia Insula (nūc appellant Nigrumpontū, uel
 a nigredine ponti, uel a ponte potius, quo latere
 Euripi cōinenti iuncta est) in Turcarū potesta-
 tē uenit, quū eam quadringentarum nauium &
 ducentarum triremium classe, equitumq; centū
 milibus inuasissent. Chalcidem urbem & anti-
 quam & nobilem, & quum propugnatoribus, tū
 rebus omnibus munitissimam, ubi mensem totū
 per summas difficultates obsessam, dies septem

HADRIANI BARLANDI

continuatos noctibus, pertinacissime terra, mariq; oppugnasset impius ille tyrannus Mahometus, per maximas tandem bombardarum moles, latissimis, editissimisq; muris solo æquatis ad 4. Idus Iulias ui expugnat, & uniuersam Christianorū multitudinē ad unum crudelissime trucidat.

An. M. cccc. lxxi.

Mors Isabelæ Ducis Philippi uxoris.

Rebus humanis exempta est Isabela, Philippi Burgundiæ Ducis uxor, cuius etiam corpus Diuionem est deportatum.

An. M. cccc. lxxiiii.

Obsidio Nouesij.

Carolus Philippi Nouesium, ut alij Nussiam, obsedit Coloniensis agri oppidum. Eodem anno Christodorus Daniæ rex, soluēdi uoti causa Romā uenit, ab urbis primoribus & supremi ordinis antistitibus honorificētissime exceptus, Romæ quū esset, conatus est Danus Italiæ principes in Turcas sociare, sed res frustra tentata est.

An. M. cccc. lxxv.

Iudæorum crudelitas.

Ad octauū Cal. April. Tridenti urbe in Italiæ

HISTORIARVM LIBER 3.

Et Germaniæ finibus Iudæi puerum furto sub-
tractum diro ritu gentis occulte interfecerunt.
Toto schemate dominicæ passionis in puerili cor-
pore representato. Nec res tam atrox diu latuit,
plures numero sceleris conuicti, merito sunt af-
fecti supplicio. Eodem tempore infans femina
in Veronensi agro nata est, binis genitalibus,
duplici uentre, quaternis brachijs. Id monstrum
parentes diu, multumq; per Italiæ urbes quæstus
causa circumtulerunt.

An. M. cccc. lxxvi.

Cædes Caroli Ducis ante Nantium.

Carolus Burgundiæ Dux ante Nantium tri-
bus uulneribus confossus occubuit, pridie Epi-
phanie. Cædis annus his quatuor uerbis contine-
tur. Nocte regum succubuit Carolus.

An. M. cccc. lxxvii.

Inauguratio Maximiliani.

Maximilianus Archidux Austriae, Friderici
Imperatoris filius accepta uxore Maria Caroli
Burgundiæ Ducis filia unica ex Isabela, in-
auguratus est principatui Brabantiae apud
Lovanium.

Anno sequenti

M 5 in tem

HADRIANI BARLANDI

in tēplo diuæ Reparatæ Florentiæ a Bernardo
Bandino Iulianus Laurentii Medicis frater con-
fossus est per coniurationem Pæctianorum, de
qua libellum habeo elegantem Angeli Politia-
ni nondum æditum.

Anno M. cccc. undeciesimo,

Rhodium obsident Turcæ.

Turcæ armorum terribili apparatu Rhodum in-
fulam oppugnare adorti, bis omnino mœnia sub-
ierunt, mille & trecentis bombardarum ictibus
muri coccusi, propugnatorum sunt uirtute defen-
si. Durasse legitur hæc obsidio undeciesaginta
dies. Si uera sunt quæ scribuntur, fuit tum Rho-
dus ecclesti magis quàm humana ope defensa. Nam
tradunt quidam crucem auream media oppugna-
tione in cælo uisam ab hostibus, cum simulachro
deiparæ uirginis hastam uibrantis, quo uiso ter-
riti Barbari obsidionem soluerunt.

Anno M. quadringentesimo lxxx.

Hydruntem expugnant Turcæ.

Hydruntem in Apuliæ & Calabriae finibus ur-
bem Turcæ Duci Othomano expugnauerunt.
Apparebat Othomanum totis imperij uiribus
Italiæ

HISTORIARVM LIBER 3.

Italiæ incubiturum. Imminebatq; ex eo Christi
ano nomini ingens discrimen, nisi matura illius
morte, manifesta dei prouidentia terror ille di-
scussus esset. Huius morte insignis fuit annus mil-
lesimus quadringentesimus octogesimus primus.

Anno M. cccc. lxxxii. Mariae

Archiducis Maximiliani cõiugis obitus.

Sixtus Pontifex in diuorum numerum retulit

Bonauenturam Minoritanæ professionis uirum.

Eodẽ anno Maria archiducis Maximiliani uxor,

quum nimio uenandi studio teneretur, quodam

die egressa, dum feram forte conspectam inseq-

tur, uel equo in præceps abeunte, uel alio casu

(certum enim non traditur) ad terram excidit.

Graviter lesa Brugas defertur. Ad eam curan-

dã accersiti sunt undiq; medicæ artis sciētissimi

uiri. Sed malo artem superante haud multis post

diebus uita decessit, quum annos nondum quinq;

archiduci nupta fuisset, gubernasset autem quin-

quennium. Defuncta fato tam illustris, tam pro-

ba, tã inculpatae uitæ mulier magnum sui desy-

derium reliquit omnibus eius ætatis hominibus.

Anno M. cccc. lxxxiii.

Obitus

HADRIANI BARLANDI

Obitus Ludouici xi. Galliarum Regis.

Margareta Maximiliani archiducis Austriae filia desponsata est Carolo filio Galliarum regis Ludouici xi. Eodem anno diem obiit rex Ludouicus, qui longioris uitae cupidus, diuorum, hominumque opem suae ualitudini implorauerat. Sed definita a Deo mortis limitem nemo produxerit.

An. M. cccc. lxxxiii.

Coronatio Caroli octauis Galliarum regis. Ludouico Francorum regi succedit filius eius Carolus octauus. Remis coronatur et inungitur.

An. M. cccc. lxxxvi.

Maximilianus Romanorum rex declarat. Fridericus Imp. Maximilianum archiducem Austriae filium suum Francfordiae in aede Bartholomaeo sacra, consortem Imperij declarauit.

An. M. cccc. lxxxix.

Pestilentia Louanii et Bruxellae.

Post motus ciuiles qui in Brabantia fuerunt pestilentiae morbus locis aliquot atrociter seuiit, ut raro alias hominum memoria sit atrocius laboratum hoc malo. Ingentem fecit in duobus oppidis uastitatem Bruxella et Louanio. Illic xxxii. aut plus eo, hic

HISTORIARVM LIBER 3.

hic xx. milia hominū, ut alij, xii. extincta sunt.

An. M. cccc. nonagesimo.

Niualis hyems.

Fuit hyems citra omnem hominū memoriā rigida & niualis. Iacuisse traduntur insolubiles niues usq; ad æstatis initium. Marinæ uolucres in paludibus deprehensæ, minoraq; animalia intolerandis frigoribus passim interiere.

Anno M. cccc. nonagesimo ii. Granata capitur. Iudaicæ familiæ eiectæ Hispanijs. Conflagrat monasterium Mittelburgese.

A Ferdinando Lusitaniæ & citerioris Hispaniæ rege expugnata est Granata, quæ octingentis ferme annis Maurorum moribus & legibus obtemperauerat, cū maxima Christiani nominis ignominia. Eodem anno eiecta sunt Hispania ceterum & uiginti quatuor milia familiarū Iudaicorū. Rex edicto uetuit ne aurū uel gemmas e regno exportarent, sed commutatione rerū, pannū, uinum, & id genus alia ad uictū pertinentia, secundum debitam æstimationem acciperent. In itinere ex his triginta milia pestifer morbus absumpsit. Circa eundem annū Mittelburgi in Scladiæ
confla-

HADRIANI BARLANDI

conflagrauit Præmonstratensis ordinis monasterium. Quo incendio absumpta est etiam bibliotheca libris omnifariam referta. Visitur hodie domus eadem multo magnificentius instaurata, diceres palatium, aut regiam esse quampiam. Illic nunc præest uir, ut clarissimis optimisque maioribus, ita optimis moribus ac eruditione & facundia præditus Maximilianus a Burgundia, quem iuuenem quidem, sed tot naturæ dotibus eximium Abbatem gratulor Selandiæ terræ mihi natali.

Anno M. cccc. nonagesimo tertio.

Moritur Fridericus tertius Imperator.

Obijt Fridericus tertius Imperator Romanus, quum annos imperasset tres & quinquaginta. Eodem anno Maximilianus ex Croatia fugauit Turcarum exercitus.

Anno M. cccc nonagesimo quarto.

Inauguratur Philippus Brabantiæ Principatus. Philippus Maximiliani filius annum agens ætatis sextum decimum Louanij Brabantiae principatus inauguratur. In cuius uerba tanto consensu ac studio ab uniuersa multitudine iuratum, ut nunquam alias maiore. Eodem anno Medicei florentiæ

HISTORIARVM LIBER 3.

rentia eiekti sunt, Petrus Laurentij filius hostis iudicatus, eius bona publicata, ac partim direpta.

An. M. quadringentesimo nonagesimo vi.

Lapides e caelo cadunt,

Initium morbi Gallici.

Inter Caesanam, & Bertonorum, tertia diei hora ad Quintum Ca. Feb. tres lapides adusti coloris, horrendo sonitu e caelo ceciderunt. Praecessit horum casum ingens sonitus, et uelut fragor ruentis materiae. Fuerunt qui unum fuisse crederent, caeterum suo casu in partes dissiluisse. Per idem tempus, nouum morbi genus coepit tota Italia uulgari, sub primum Gallorum in ipsam terram descensum, & ob eam rem Gallicus est nuncupatus. Pustulae hominum corpora inficiebant. Trahebatur morbus in plures annos, pauci pro numero aegrotantium extincti, nec tantum in Italia, sed in alijs quoque orbis Christiani partibus hoc malo laboratum est. Manent usque in diem hodie numerum morbi reliquiae.

An. M. cccc nonagesimo viii. Moritur Carolus octauus Galliae rex, mense Martio.

Fato consumptus est Rex Gallorum Carolus Octauus

HADRIANI BARLANDI

octatus is qui paulo ante Italiam cum exercitu
 ingressus, & Romam uenerat nolente ac mor-
 sto Pontifice, & Neapolim ultro sibi deditam
 intrauerat. Successit huic Ludouicus Dux Au-
 relianensis. Eodem anno Ioannes Standone
 patria Mechliniësis, uir & literis Theologicis,
 & morum sanctitate insignis, Louanij collegiũ
 pauperum instituit, qđ a sui institutoris nomine
 Standonicum uocatur. Qui hic aluntur iuuenes
 primum Philosophiæ, deinde sacris literis nõ se-
 gnem operam impendunt. Complures in hoc cõ-
 tubernio euoluendis orthodoxorum uoluminibus
 adeo assiduam operam dederunt, ut doctissimi e-
 uaserint, alijq; ob egregiam doctrinam uocati ad
 Ecclesiarum præfecturas, alij ad alios honores,
 dignitatesq; per principes uiros assumpti sint.
 Nihil dico de studio pietatis, uigilijs, ieiunijs, pre-
 cationibus, alijsq; consimilibus progymnasmatibus,
 quibus sacerdotium meditatur hæc iuuentus.
 Familiæ sanctæ institutor Lutetiæ Parisiorũ
 decessit anno salutis humanæ M.D.4. sepultus
 in sacello collegij Montis acuti, ubi etiã ipse pau-
 perum iuuenum sanctis studijs uacantium insti-
 tuerat

HISTORIARVM LIBER 3.

tuerat cœtum, qui ut uetustior, ita etiam Louani-
ensi est multo numerosior.

Anno millesimo quingentesimo.

Nascitur Carolus.

Gandau in Flandria Philippo Archiduci Au-
stricæ natus est filius, mense Februario pridie
Mathiæ, qui circa decimum quartum Martij
Baptismo admotus, Caroli nomen accepit.

Eodem anno aquæ ingentes Louanij fuerunt, &
Dilia loca plana urbis inundauit, quædam etiam
collapsa ruinis sunt. An. M. D. I.

Guttæ sanguinis cœlo cadunt.

Signum dominicæ crucis, coronæ spineæ, trium
clauorum similitudo, guttæ sanguinis cœlo de-
ciderunt. Interdum etiam intra domos & cu-
bicula, ea delapsa, mulieres sæpe dies aliquam-
multos, in ricis suis circumtulerunt. Hæc & his
similia in sublimi uel in terris apparentia, signi-
ficant iram dei imminere hominibus. Anno
eodem, die festo diuisionis Apostolorum Phi-
lippo Archiduci nata est Bruxellæ filia Eliza-
bet, quam alij e Gallico deducta uoce Isabellam
nominant.

Anno eodem Theologi Mogun

N tina

HADRIANI BARLANDI

linæ scholæ prouocati exemplo doctorum Parisiensium & Colonienſium decreuerunt ſentendum, credendum, & modis omnibus defendendum eſſe, uirginem dei param nūquam originali ſubiacuiſſe peccato, ſed ſingulari quodam priuilegio præſeruatam ab altiſſimo domino.

Anno M. quingentefimo ſecundo.

Peſtilentia.

Tota Germania mōrbus peſtifer inclementiſſime ſeuijt. Præmonſtratum malum, ut quidam opinati ſunt, per cruces, quæ non multo ante in ueſtes hominum e cœlo ceciderunt. Eodem anno poſtridie Palmarum Bruxellæ in Brabantia quidam traditus eſt ignibus, qui negabat Mariã I E S V matrem a partu inuiolatam permanſiſſe uirginem.

An. M. quingentefimo iii.

Sicca æſtas, Mors Alexandi ſexti Pont.

Conflagratio Herderuici in Gelria.

Aſperrima hyems fuit, quam ſequuta eſt calida atq; adeo ſicca æſtas, ut per totos quatuor menſes pluuia terram nō humectauerit. Periere hinc in agris ſata læta boumq; labores, hinc orta eſt magna

HISORIAM LIBER 3.

magna rei frumentariæ caritas, hinc data neci aliquot porcorum milia. Per idem tempus uita decessit Alexander sextus Rom. Pont. anno a creatione sua undecimo. Narrant quidam ueneno interijſſe, qđ filius eius ex Cardinalibus uni parauerat, sed pocillatoris errore factum eſſe, ut Pontifex biberit. In eundem annum incidit mirabilis cōſſagratio Herderuici oppidi Gelricæ pridie Cal. Aug. ſpatio trium horarum, templa, cœnobia, & priuata publicaq; ædificia multis arduiſq; tabulatis ædita omnia conſſagrarūt. Adeo late hoc eſt euagatum incendium, ut toto oppido uix quinq; aut ſex priuatiæ domus reliquæ manſerint. Hominum qui partim ſumo eneſti ſunt, partim ruinis tectorum perierunt, traditur fuiſſe numerus M. D. Eodem ſere tempore Gorici oppidulo Hollandiæ ſubito igni ductæ, & pago quodam Veſtſlandriæ domus quadringentiæ arſerunt.

Anno M. quingentiſimo quarto.

Monſtrum Dauentriæ natum.

Poſt conſſagrationem Herderuiciam Dauentriæ mulier quædam enixa eſt filias duas uen-

HADRIANI BARLANDI

tre uno, & corporis medio a pectore coniunctas, cæterum capitibus duobus, brachijs quatuor, ac pedibus totidem. Eodem anno in Brabantia, & locis finitimis, uespere sub horam decimam pridie Bartholomæi accidit terræ motus, qui tamen nostratibus populis nullam cladem attulit. Nemo extra domos uitæ periculum adiit, nusquam corruerunt ædificia, nusquam radicatus euulsa arbores, nemo oblæsus, nemo oppressus tectorum ruinis.

Anno M. D. vi.

Initium Francfordiensis scholæ. Cometa luxit. Philippus Castellæ Rex moritur. Arx quæ uulgo Proyen dicta obsideur. Initium cepit Francfordiense Gymnasium in Germania superiore. Condidit Ioachimus Brandenburgensis Marchio, & princeps elector. Cōfirmant & certis dotauit priuilegijs Iulius secundus. Eodem anno Cometes apparuit mense Augusto, uisus per dies octodecim. Hunc Septembri proximo sequuta est mors Philippi Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae & Brabantiae, Maximiliani Regis Germanorum filij

HISTORIARVM LIBER 3.

filijs. Quem principem omnium optimum fortuna terris ostendit, sed heu facinus ostendit tantum, ac protinus subduxit. Postquam huius viri mortem fama vulgavit, incredibilis repente Brabantiam cæterasq; regiones socias luctus occupat. Neque ulli sane Burgundicæ ditioris mortales fuerunt, qui non eiusmodi nuncium lachrymis multis exceperint, qui non tantum in propria doluerint orbitate. Erat enim omnium bono natus princeps, omnibus prospicere, omnibus consulere huic unum erat studium. Patriæ commodum, suum ducebat esse lucrum, libertate civium delectabatur, nihil æque studebat quam pacem publicam reddere perpetuam, & recte. Nam ex bello semel omnia reipublicæ mala proficiuntur.

Anno eodem nostrates obsederunt arcem Proyam quæ sita proxime Mosam, inter Goricum et Buscumducis oppida. Hunc locum opere & natura munitissimum, audacissimi improbissimiq; hoës quæ occupassent, incredibile dictu, quantum negotiatoribus nostris illac ad mercatum proficiscētib; dāni inuulerint. Nihil enim aut flumine, aut uehicularum præteruehi potuit,

HADRIANI BARLANDI

quod non statim incirciperent isti, quorum iniu-
rijs euocati primum Hollandi arcem obsidione
cingunt. Gelriae princeps, his qui in arce erant
laborantibus succurrere, & obsidione eos cupie-
bat eximere. Sed hostium territus multitudine,
palam id facere non audebat. Ad insidias igitur
animum adiiciens contractas undiq; copias du-
ctabat. In castris interim Hollandorum fama
erat, cum exercitu minime contemptibili aduen-
tare Gelrum. Territi Hollandi, genus hominum
ad epotandos calices, q̄ ad arma ferenda magis
appositum, relictis impedimentis, & pedibus
suis novos calceos promittentes, in fugam sese cō-
ijciunt, quod eo fœdius erat, quia sub duce tam
strennuo, & in armis diutissime uersato Egmū-
densi stipendia merebant. Conatus est ille fugi-
entem retinere multitudinem. Sed ab insueto &
rei militaris imperito uulgo, nec ducis exhorta-
tio, nec p̄ patriam obtestatio, impetrare potuit,
ut deposito metu in obsidione perseuerarent.
Relicta sunt illic uasa omnis generis, lecti quoq;
adeo multi, ut ijs fossas repleri potuisse q̄dā scri-
pserint. Nunc sapientes & philosophi dicāt præ-
stare,

HISTORIARVM LIBER 3.

stare, ouium agmen duce leone, q̄ leonum oue du-
 ce, quum princeps longe sapientissimus, dux cla-
 rissimus, tam mollem atq; inermem militē in ca-
 stra & tentoria reducere non potuerit. Ab hac
 Hollandorum obsidiōe iam unus exierat annus,
 quum Buscoducenses, ad hanc ipsam arcem oppu-
 gnandam uenerunt. Quibus sic animatis, a Cæ-
 sare Maximiliano, missus est Comes Anholtus
 uir in re militari exercitatissimus, cui totius bel-
 li summam permitterent, cui exercitus suos, &
 equitum alas Buscoducenses concrederent. Arcē
 præsidio munitam quum aliquandiu oppugnas-
 set Anholtus, capere eam propter obiecti agge-
 ris non potuit miram altitudinem. A Buscoduce
 sibus igitur nouum tormentorum genus excogi-
 tatum est, quod mortarium uocabant, ijs instru-
 mentis, pila & grauissimas saxorum moles in al-
 tum eiciebant, quæ quoquo modo destinaue-
 rat hostis deciderent, unde factum, ut paucis die-
 bus arcis tecta omnia, ac deinde tabulata corru-
 rint. Hic Sneyvingus arcis dux ruina trabis, cui
 forte substabat opprimitur, ac tūdemū principis
 casu percussus miles, q̄ arcē tuebatur, de ea dedēda

HADRIANI BARLANDI

cepit cogitare. Eo enim iam deducta res erat, ut
 nusquā tuti nisi in penarijs & subterraneis lo-
 cis essent obsessi. Facta est deditio his conditio-
 nibus, ut Gelri milites cum singulis uestimentis
 incolumes abirent, nostrates trāsfugæ omnes su-
 spēdio mulctati sunt. Deditam sibi arcem Busco-
 ducenses diripuerunt, direptam solo æquarunt,
 ne in posterum esse posset sceleratissimorum ho-
 minum receptaculum. Est hæc loco uictor egre-
 giam nactus prædam, quotidianis enim rapinis,
 multa uicti in arcem comportauerant.

Anno M.D. vii.

Oppidum Thenense capitur.

Dux Gelriæ Carolus, qui iam pridem in uer-
 ba Regis Maximiliani de pace seruanda iura-
 uerat, rupta concordia bellum Brabantis intu-
 lit. Oppidum Thenense cepit, & captum diri-
 puit, uiribus adiutus Gallorum Regis, qui iam
 inde ab obitu Philippi, Burgundicæ domui ho-
 stis esse cœperat.

Anno M.D. xiii.

Angliæ Rex

Caletum uenit bellum Gallo illaturus.

Henricus octauus Angliæ Rex cum ualida bel-
 latorum

HISTORIARVM LIBER 3.

latorum manu Caletum traiecit, bello adortu-
 rus Galliae populos. Illuc argento & auro, quod
 ingens secum aduexerat, non modo Caesarem
 Maximilianum, sed omnem quoque Brabantiae,
 Flandriae, & Hollandiae nobilitatem ad se iuan-
 dum pertraxit. Lectissimum equitatum ac pedi-
 tes complures e Gallia missos, quos Morinos, quos
 obsessurus hostis putabatur commeatu leuarent,
 Maximilianus partim occidit, partim in fugam
 compulit, ex quibus trecenti quinquaginta capti,
 inter quos & nobiles aliquot regni Gallorum,
 fuerunt, signa bellica nouem amissa, currus
 onerarij centum quinquaginta abducti. Post
 haec Romanus & Anglus magnanimi princi-
 pes duo, Morinos quaerente praesidio firmauerat
 Galliae Rex Ludouicus, omni armorum genere
 expugnare adorti, murorum partem deiecere.
 Atque hinc cum ingens terror ciuitatem inua-
 sisset, facta deditio est hac lege, ut miles ui-
 abstineret. Ingressus Caesar Anglo cessit
 urbis imperium. Postea deditum est &
 Tornacum. Huius oppidi ciues permulti, ne mi-
 litarem diutius feruitatem pati cogerentur, nouas
 sedes

HADRIANI BARLANDI

Sedes in Flandria & Brabantia quæsiuere. Henricus huius urbis a Cæsare Imperio sibi relicto, incredibili sumptu arcem intra muros extruxit, multis inclusis ædificijs. Hic præsidium habuit perpetuum, donec post aliquot annos Gallo urbs reddita est, quæ nunc paret Carolo Cæsari, adempta iterum Gallo per nostrates exercitus. Quo tempore bellum Anglus cum Gallo gerebat, in prouincia Morinorum, Iacobus rex Scotia a rege Galliarum, ut quidam putant mercede conductus, Angliæ fines ingressus, cæde, incendijs, ruinis, direptione omnia miscuit, omnia terrore impleuit, donec Reginae studio contra eius exercitus anteq̃ interior Anglia ureretur ei occurrit. Atrox prælium committitur. Scoti regem suum dum acerrime ante signa pugnat circumuentum amiserunt. Victor Anglus ad sua reuertitur.

An. M. D. xiiii.

*Obitus Ludouici xii. Francorum Regis
Decessit Ludouicus duodecimus Francia Rex,
Et Henrici octauis Anglorum regis soror, quæ
Ludouico nupsit, in Angliam reuecta est, ubi
postea*

HISTORIARVM LIBER 3.

postea non multum claris ortum natalibus virum
accepit. Eodem anno Tornaci milia hominum
triginta quatuor pestifer morbus absumpsit.

An. M. D. xv.

Carolus Brabantiae principatum suscipit.

Carolus Philippi filius, Louanij quemadmodum
pater, auus, & proauus fecerant, celebratis con-
ditionibus & statutis, ac obseruandorum priuile-
giorum facta confirmatione, Brabantiae princi-
patum suscepit, non unius tantum urbis, sed &
omnium nostratum prouinciarum gaudio incre-
dibili. Anno eodem huius Caroli soror Ma-
ria, auecta est in Hungariam, nuptura Ludouico
Hungarorum & Bohemiae Regi.

Anno M. D. xvi.

Classis ex Hollandia in Phrisiam.

Centum naues ex Hollandia in Phrisiam appli-
cuerunt ad soluendam Leuardiae obsidionem, quae
urbs tum ab incolis vicinis premebatur. Hi accepto
nostratum aduentu, trepidi retro abierunt.

An. M. D. xvii.

Oppida quaedam Hollandiae Gelrus occupat.
Durante adhuc bello Gelrico Felix Comes in-
census

HADRIANI BARLANDI

census Gelrorum nauibus arcem quandā eorum
 munitissimam ui cepit, unde nostratibus multum
 antea incommodauerant. Sub idem tempus Ca-
 rolo principe agente Mittelburgi, ut hinc secun-
 do uento in Hispaniam traiceret, Gelri cū equi-
 ratu ualidissimo, pedestribus etiam copijs Hollan-
 diā ingressi cæde, incēdijs, ruinis omnia miscēt.
 Oppidum Medelblicum ui captum, diripiunt ho-
 stiliter. Processum est inde Alcmariam, qua urbe
 occupata, immensum argenti pondus & auri, ue-
 stes pretiosas aliaq; permulta secum auexerūt.
 Hinc Sparendamum, hinc & alia quædam lo-
 ca sunt incendio absumpta. Postremo ad oppidū
 Asperam ductus exercitus, incenia ter conscen-
 dit, toties repulsus a ciuibus. Mille iam & quin-
 gēti in Gelrorum copijs desyderabantur, quam
 occupata & ui capta urbecula, uiros cum uxo-
 ribus & liberis, alios ferro super alios confe-
 cit hostica rabies. Sunt & templa diuorum,
 ad quæ plerique confugerant, humano fœdātā
 sanguine. Adolescentes in scholis reperti suis
 necati. Ad cunas quoq; puerorum uagientium
 descēdit crudelitas, inter promiscuas cædes hoc
 edi

HISTORIARVM LIBER 3.

edito diri furoris exemplo, infeliciter natæ uir-
gines, mulieresque, etiam ab raptu hostilia pas-
sæ sunt.

Anno M. D. xviii.

Morani a Carolo Hispaniarum rege uicti.
A Carolo Hispaniarum Rege, contra Mora-
nos missus exercitus, ualidam in ea gente ur-
bem cepit, ac deinde occidit quadraginta Bar-
barorum milia. Secundum hanc uictoriam Ca-
rolus auo suo Maximiliano Cæsari adempto
stibus magni pretij uexilla duo transmisit.

Eodem anno Louanij, regione qua Distemium
itur incendium uidimus ortum, qd' multa priuata
ædificia comprehendit. Idem annus insignis est
iusto scedere inter Leodinos et nostrates provin-
cias. Missus est ad eam rem perficiendam Guili-
elmus Ceuerius pueritiæ Caroli nostri forma-
tor optimus, & uir longe prudentissimus.

Anno M. D. xix.

Maximiliani

Cæsaris obitus, & gesta per eum bella.
Cæsar Maximilianus fatalem diem obiit in
Germania superiore, quum esset ingressus an-
nū ætatis sexagesimum tertium. Quod ut palam
factū

HADRIANI BARLANDI

factum est, hac nostra inferiore Germania luctus ingens, atq; mœstitia per omnes fuit ciuitates, quibus ob clementiam, placabilitatem, uoluptatum omnium abstinentiam, uirtutesq; alias, fuerat longe charissimus hic princeps, cuius ut uitæ uelut summâ partem pponam, continuos ix. annos in castris agens difficillima quinq; bella profligauit Gallicum, Eburonicum, Sicambriçâ, Batauicum, Morinicum. Hic nobilissimæ gentes, hic scientissimi bellicæ rei populi, hic urbes opulentissimæ, ad deditionem & pœnitentiâ ab eo compulsæ sunt. Quale nihil socer Carolus, nihil profocer Philippus, excellentissimi Duces unquâ consequi potuerunt. Quot hyemes sub pellibus egit? quot sudauit æstates? quis unq; eo solertius castris locum cepit? commeatus expediuit? hostem ludificatus est? Nullum huic castrense munus sorduit. Quoties pro signis ipse stetit? quoties egit sorte excubias? quoties uallum tulit? quoties speculatum egressus est? Neq; uero postremum inter huius laudes uiri ponendum, quod literas & ingenia tam impense amauerit, quodq; bonas artes non fouerit modo, sed aluerit atq; promouerit.

HISTORIARVM LIBER 3.

moluerit. Iuuentutem nemo religiosius, nemo innocentius, nemo unquam sanctius exegit, nemo fuit unquam patri obsequentior filius. Auxit huius mortui desiderium principis, atrocitas insequentium temporum.

Anno M.D.xx.

Carolus Rex Romanus eligitur.

Maximiliano Carolus, auo nepos succedit, qui quo tempore est electus Rex Romanorum in Hispanijs agebat, unde per legationem euocatus anno millesimo quingentesimo uigesimo in Flandriam applicuit, sub Cal. Apr. Partim hic, partim Bruxellae & Mechliniae postquam traesegisset aestate, cum omni fortunae suae strepitu, mense Octobri Louanium uenit. Qua in urbe dies circiter xx. commoratus Aquisgranum proficiscitur, ubi exquisitissimis honoribus acceptus, & Imperij donatus insignibus, Coloniam, inde Vormatiam Vangionum se contulit. Nullus unquam studio maiore, & ciuitatum luxu cultus est, nulli plura exhibita sunt spectacula. Vormatiae celebri conuentu Germaniae principum, qui ad eius edictum huc conuenerant, damnata est Lutherana haeresis.

PRIUS

HADRIANI BARLANDI

Prius tamen tentatum est modis omnibus, partim
minis, partim blāditijs, ut suos libellos quos agno-
uit omnes Lutherus Cæsareæ submitteret maie-
stati. Id ubi non quitum est impetrari, per cadu-
ceatorem Cæsaris publica fide Vvittenbergam
reductus est, dato ad hoc viginti dierum spacio.
Mox ex mādato Cæsaris siue consulentibus a-
lijs, siue ppenso quodā Christianæ fidei studio,
libri Vormatiæ combusti sunt.

An. M. D. xxi.

Mors Guilielmi Croij Archiepiscopi To-
letani. Initium belli Gallici. Obitus
Leonis x. Pont. & electio Hadriani sexti.
Tenente conuentu Vormatiensi, Carolus amisit
aulæ suæ duo præcipua ornamenta, Guilielmū
Croium Archiepiscopum Toletanum cardina-
lem, & huius patruum Guilielmum Ceuerium.
Ille Ianuario mense periit, ueluti flosculus te-
ner in ipso exortu succisus, nondum enim egres-
sus erat annum uigesimum tertium. Hic sed natu
grandior Maio insequenti naturæ concessit. Cui
uiro si uita diuturnior contigisset, aut nunq̄ su-
sceptum (erat enim pacis amantiſſimus) aut cele-
rius

HISTORIARVM LIBER 3.

ruius confectum fuisset bellum, quod exarsit po-
 stea inter duos potentissimos orbis Christiani
 principes Carolum Casarem, & Galliarum re-
 gem Fraciscum. Cuius initio belli nostrates subi-
 to accessu occupatis Gallorū aliquot oppidulis,
 cum ingenti exercitu ad Masserias armis uindi-
 candas pfecti, aliquot eam hebdomodas obsede-
 runt. Locus ui defensus capi non potuit, suburba
 na tantum teeta direpta sunt & incensa. Ob dis-
 sidium Ducum hanc solutam esse obsidionem in-
 uenio in Chronicis nostrate lingua conscriptis.
 Vr alij tradunt oppidum diu obsidione cinctum
 ac spe iam præpropera deuoratum nostri Gallo-
 rum Regis aduentu, relinquere coacti sunt.
 Eodem anno mense decembri, Leo huius nomi-
 nis decimus Pontifex Max. Romæ moritur. In
 cuius demortui locum Anno Christianæ redem-
 ptionis millesimo quingentesimo uigesimo secūdo
 mense Ian. cceli prouidentia orbi Pontificē dedit
 Hadrianū Floretium Traiectensem, a Traiecto
 insigni Holladiæ oppido, Cardinalē sanctoz. Io-
 annis et Pauli, eximia sacrarū literarū doctrina,
 atq; omni uirtutū genere ornatissimū uirum, quē
 adhuc

HADRIANI BARLANDI

adhuc in minoribus agentem Cæsar Maximilianus Caroli nepotis pueritiæ formatore ex Louano asciuerat. Habuit orbis noster hunc primum Pontificem Romanum a Petro. Estq; uocatus Hadrianus sextus, nomine seruato quod olim in Baptismo acceperat. Quum Romæ eligeretur magno Cardinalium consensu, agebat is tum in Hispanijs, regnorum Caroli Cæsaris gubernator, aberat enim Carolus ob negocia imperij. Post octo deinde menses Romam ueniens, hic sanctissimus orbis terrarum parens, maximo totius urbis gaudio, pridie Cal. Septem. coronatur. Sub cuius appulsum ingens exorta pestilentia durauit ac sæuijt hyemem unam. In hoc Pontifice nimis illud uerum esse ostensum est. Omnia in humanis quo meliora, eo minus diuturna esse. Nam ut optimus erat eius Pontificatus futurus, ita breuissime effluxit. Moritur enim altero sue administrationis ineunte anno. Exincti corpus illatum templo Petri Apostoli sepelitur mediū inter duos Pontifices appellatione Pios, Secundum, qui Aeneas Syluius antea dictus, & Tertium, quem Sexto Alexandro successum, uigin
ti sex

HISORIVM LIBER 3.

ti sex dies, non amplius Pontificem nostra uidit
 pueritia. Hadrianus domum suam Louanij ma-
 gnifice exstructam, in usum uertit sanctis literis
 studentium, iisdem in alimoniam relictis etiam
 prouentibus annuis. E regione Pontificij colle-
 gij habitat familia Standonica, quam ut alio loco
 dixi Ioannes Standonc uir haud minus uirtute q̄
 eruditione pollens, non suis opibus quas nec ha-
 buit, nec habere uoluit, sed illustrium aliquot ui-
 rorū elemosynis adiutus instituit, anno Domini
 M.D. Sunt ab eodem alia duo studijs Philoso-
 phiae insudantium iuuenum erecta collegia, unū
 Mechliniae, Valencenis alterum.

Anno M. D. xxii.

Rex Danorum in Selandiam uenit

Rex Danorum Christiernus patria pfugus, in
 portu qui uulgo Coppenhauen dicitur, cum uxo-
 re Isabella & liberis nauem ascēdit, & uento se-
 cundo in Selandiā delatus. Veriēq; primum con-
 spectus excipitur a principe eius loci Adolpho
 Burgundo. Post dies non multos, quibus in aula
 Veriensi perhumane tractatus est, Mechliniam
 proficiscitur. Nobilitas illi obuiam prodijt, ma-
 gnaq;

HADRIANI BARLANDI

gnatq; ueneratione exceptum, insigni pompa in
 aulam ducalem induxit. Exactis iam annis ali-
 quot, in locis & oppidis nostratibus Regina Isa-
 bella uxor eius apud Flandros in languorem in-
 cidit, quo postea breui maximo uiri sui dolore
 consumpta est, & sepulta Gandau in cœnobio
 diui Petri ante aram maximam. Fata credo no-
 luere, ut quæ urbs nascentem Carolum fratrem
 uidisset, eadem quoq; sororis amantissimæ cine-
 res haberet.

An. M. D. xxiii.

Rhodus capitur a Turcis.

Rhodus imperij Christiani antiqua propugna-
 trix, Tyranno Turcarum Solimano dedita est.
 Cuius nobilissimæ urbis semper lugendam de-
 ditionem, qui fando, audiendoue temperare a
 lachrymis potest, mea quidem sententia, uel
 Christianus non est, uel parum nouit quantum
 Rhodiana uictoria Turcarum uires auctæ sint,
 & nostræ accisæ. Verum nunc omnes quare-
 læ etiam necessariæ seræ sunt atque ingratae,
 quando quidem Occidentis principes, quos neq;
 obsidio primum, neque postea excidium mo-
 uit, p̄q

HISTORIARVM LIBER 3.

uit, poti sunt calice furoris, indignationis, & iræ Dei.

An. M. D. xxv.

Franciscus Gallorum Rex apud Papiam capitur, Cæsar Carolus uxore ducit.

Franciscus huius nominis Gallorum Rex primus, in Italia apud Papiam a Caroli Cæsaris exercitibus memorabili prælio uictus capitur. Annus ille his in uerbis reperietur. Carolus benedictiones accepit a domino, & robur a deo salutari suo. Eodem anno Carolus Cæsar mensis Martij undecimo die Isabellam Emanuelis Lusitanorum Regis filiam, eius qui nunc regnat sororem apud Hispaliem Bethicæ urbem Hispaniæ in matrimonium accepit, eos Saluiatus Cardinalis, summi Pontificis legatus, stabili iunxit connubio. Ex eadem coniuge Carolus nunc benignitate dei uirilem stirpem habet.

Per idem fere tempus Gallorum rex cum aliquandiu captiuus in Italia fuisset, tandem nauis impositus, ad Cæsarem in Hispaniam perducitur, quem ille non ut hostem, sed ut regem & hospitem penes se habuit. Atque exacto

HADRIANI BARLANDI

unius anni spatio pacem cum eo fecit. Conditio-
 nes pacis hoc habuerunt, ut Gallus Cæsari Nea-
 polim, Mediolanum, & Genuam in Italia, in lo-
 cis nostratibus Atrebatum & Tornacum cede-
 ret, Burgundiæ Ducatum restitueret, Omnia
 Flandriæ iura, & Arthesiæ in Carolum & hu-
 ius posteritatem transferret, Hefdinum redde-
 ret, omnes suos dominatus & possessiones recipere
 Dux Borbonius, redderentur quos ex Cæsa-
 rianis captiuos Gallus haberet. Est præterea in-
 fcedere diserte scriptum, ut Gelriæ Dux ad su-
 premum uitæ diem eius terræ dominus esset, a
 cuius morte ius uniuersum ad Cæsarem Carolum
 deuolueretur. Et si Gelro liberi ex legitima
 uxore contingerent, eos Carolus alijs proueni-
 bus annuis ditandos cohonestandosq; susciperet.
 Item Galliarum Rex classsem, sexcentos equites,
 & peditum sex milia, in semiannum suo sumptu
 aleret proficiscenti ad Italiam Cæsari. Duceret
 etiam uxorem Leonoram Portugaliciæ uiduam,
 quæ Caroli soror annos nata erat plus minus ui-
 ginti octo, quum hæc agerentur in Hispanijs.
 Leonora dotali nomine acciperet ducenta milia
corona

HISTORIARVM LIBER 3.

coronatorum, & comitatus Malcouiensem, Ces-
 sorium, ac Barensem. Ea omnia nisi intra certum
 tempus præstaret, in custodiam unde emittere-
 tur rediret, ea ita futura obsides daret, quos &
 dedit duos ex filijs natu maximos. Ita Fræcisus
 ex Hispania in Franciam redijt. Cæterum quæ
 his conditionibus facta pax est, non diu tenuit.
 Nam reuersus domum Gallus summopere bellū
 reparauit, misso cum exercitu non contemptibili
 in Italiam Rege Nauarræ, qui ascitis in belli so-
 cietatem Venetis, terroris ac prædæ omnia com-
 pleuit. Venetus sexaginta nauium instructa clas-
 se, ad Siciliam uī occupandam mare ingreditur.
 Sed nauium ille apparatus in Freto Adriatico
 perijt, atrocissima tempestate classe disiecta, cum
 ingenti hominum pernicie. Nec sic quidem urbs
 quæ successum & potentiam Cæsaris in Italia
 metuebat, tanta accepta clade quieuit, contracta
 enim repente quadraginta armatorum milia Ro-
 mam ire iubent, cum quibus & Gallorum co-
 pijs, quæ se Veneto iunxerant Cæsariani con-
 gressi egregie uicerūt, experti hac pugna si unq̃
 antea, non in multitudine esse uictoriam belli.

HADRIANI BARLANDI

Numero enim longe inferiores erant. Hoc loco ex Venetis caesa traduntur uiginti hominum milia. Ceciderunt ex Gallis pleriq; uiri illustres.

An. M. D. xxvi.

Hungaria uastatur a Turcis.

Latius Turcarum arma uagata sunt intra Hungariae fines, quam Christiani nominis regibus decorum esset. Hoc tempore Ludouicus Hungarorum Rex cum fidei hostibus confligit, sed militum numero longe inferior, & a suis ut quidam tradunt, etiam proditus tandem fugere cogitur, dumq; fugit in paludes coiectus profundo limo cum ipso equo haustus est. Cadaver eius postea inuentum, Viennae Austriae urbe sepelitur, in eade Protomartyri sacra. Praesenti successu ferocior factus hostis, quae ante pugnam non adierat loca peruastauit, non hominibus, non iumentis, non pecoribus, non arboribus infelicibus frugiferisue, non satis ipsis, non tectis pepercit.

An. M. D. xxvii.

Roma capitur a Caesarianis,

Haga Hollandiae diripitur a Gelris.

Erat annus redempti orbis, M. quingentesimus
uigesimus

HISTORIARVM LIBER 3.

ingesimus septimus, cum mense Maio Carolus
 Borbonius Dux per Senam Italiae urbem iter fa-
 ciens Romam properaret, cum Caesarianis exer-
 citibus. Iam non longe aberat a mœnibus quo tpe
 ad Pontificem misit, q̄ significaret, ut milium ali-
 mentorum inopia laboratem intra urbem reciperet,
 eos non ut hostes, sed ut hospites omnia facturum.
 Negat Pont. se admissurum Italiae populos.
 Hoc cognito & accepto responso, Borbonius ut
 suos animaret, primus schalas urbi admotas, con-
 scendit, quodq; dolendum fuit, eodem tpe momẽ-
 to, bombardam ictus decidit, & non multo post
 obiit. Huic succedens princeps Arangius uir
 militari uirtute & prudentia magnus, militem ad
 tentanda mœnia hortatus Romanos oppugnat,
 tamdiu se strenue defendentes, quoad exorta
 densior nebula nostrorum eis conspectum eripuit.
 Ita pridie Nonas Maias urbs capta est, olim ro-
 tum quae ceperat orbem. Victor miles ingres-
 sus, recta ad Pontificias ibat aedes, hic enim se
 Pont. inuenturos putabant, sed ille in arcem mu-
 nitiolem concesserat, S. Angeli dicitur. Media
 igitur urbe edita caedes ingens, ab irato hoste

HADRIANI BARLANDI^I

maxime germano, cui hominum generi inuisum
iam annis aliquot Ecclesiæ nomen est. Perijt
hoc loco Cardinalium unus, q̄ probe instructus
armis furenti se uictori obijcere ausus fuerat.
Ab hac cæde urbs direpta est, & quicquid in do-
mo Pontificia preciosæ rei inuentum, abstulit
hostis. Iam & arx ipsa ubi Pontifex erat, obsi-
deri ccepta, quumq; dies triginta & plus eo præ-
sidiarij nostros fortiter tulissent, & obsessis o-
mnis præcisa spes esset futuri subsidij, Pontifex
ad Nonas Iunias, ut alij scribunt ad decimū eius
mensis diem, cum ducibus copiarum colloquutus
deditionem fecit. Eodem tempore cessit & oppi-
da aliquot Cæsari, quæ Arangij studio postea
ualidis sunt firmata præsidijs. Promisit etiam se
adnumeraturum quadringenta milia coronatorū
ad persoluenda militibus stipendia. Cæsarianis
ita in arcem admissis, Pontifex & qui apud eum
Cardinales erāt, Caietam abducti sunt. Quibus
seruandis datus est princeps Alarconius, donec
a Cæsare nuncius ueniret, unde qd fieri ille uel-
let, dilucide cognoscere tur. Cæsar de urbis dire-
ptione factus certior (nam hoc inscio patrata o-
mnia

HISTORIARVM LIBER 3.

mnia) uehementer doluit, & Pontificem custo-
 dia dimitti iussit. Hic dicam de Borbonij
 Ducis defectione a Rege Gallorum, quam hu-
 iusmodi fuisse accepi. Carolus Borboniæ Dux,
 patre natus Gilberto Borboniæ, & Aluerniæ
 Comite prudentia multa, & militari gloria uir
 insignis, quum Susannam uxorem amisisset, quæ
 Petri Borboniæ Ducis & Annæ Ludouici Frã-
 corum Regis undecimi filia fuit, orta est ei con-
 tentione de Borbonico ducatu, cum Ludouica matre
 Francisci, huius nominis primi Regis, hac genus
 suum referente ad Carolum Claremontis quon-
 dam principem, ac Borboniæ ducem. illo asseren-
 te se Borbonici ducatus ex paterna successione
 hæredem legitimum. Ad quæ accederet etiam
 quod Susanna moriens in uirum suum pleno iu-
 re Ducatum trãstulisset. Hac lite & controuer-
 sia adhuc durante, Rex Franciscus uoluit, ut Lu-
 douicam Carolus uxorem duceret, cumq; uide-
 ret huc adduci illum non posse, minari cœpit ni-
 si obtemperaret, fore ut grauiora pateretur, qua
 Regis oratione offensus Borbonius uno secum
 assumpto fideli famulo clã relicta patria in Hi-
 spaniã

HADRIANI BARLANDI

Spaniam ad Cæsarem nauigat, a quo benigne ex-
 ceptus non solum in eorum qui a consilijs sunt
 asciscitur ordinem, sed exercitibus etiam qui tunc
 temporis in Italia erant, præficitur. Ad quos p-
 fectus in legato sibi munere adeo strenuū se
 exhibuit, ut non modo ex Mediolanensium, sed
 etiam Italiae finibus Gallicas eiecerit phalanges,
 & rege apud Ticinum capto atq; in Hispaniam
 ad Cæsarem abducto Italiae urbes imperium ac-
 cipere coegerit, & orbis etiam caput Romanū su-
 is expugnandū dederit, qd̄ ultimum fuit opum
 eius in terris. Nam urbis moenia dū oppugnātur
 ipse bōbarda ictus ex uulnere postea obiit. Hic il-
 lihumato factus ē titulus. Deuictō Gallo, aucto
 imperio, Pōtifice obsessō, Italia supata, Roma ca-
 pta, Borbonij hoc marmor cineres habet. Eodē
 anno ob rebellionē Traiectensium contra suū anti-
 stitē, q̄ priuilegia quædā illis ademerat, cū Gel-
 riæ Duce, p̄pterea quod rebellantē populū præ-
 sidijs militarijs, et armis iuaret, nouū susceptū
 est bellū. Traiecto exclusus Episcopus Dorestasi
 manebat. Milites interim quos Gelriæ dux Tra-
 iecti collocarat, contractis pluribus schaphis usq;

ad Ha

HISTORIARVM LIBER 3.

ad Hagam Comitum nauigant, & relictis q nauiculas seruarent, cæteri omnes Andree Apofoli cruce uexillis & uestibus affixa, Burgundos se mentiti, quū in forū uenissent, edita hac uoce, uinat Gelrus, uinat Gelrus, ad diripienda ciuiū bona discurrunt, multa q; omnis generis supellectile, multa q; ui auri & argenti, in fluuiales cymbas illas, quibus uenerant, delata, multis quoque abductis inde captiuis, præda onusti Traiectum redierūt uidentibus id Holladiæ oppidis, et ferētibus hic uiris, qd̄ in alia quapiā gente bellicosa nō tulissent fecminæ. Inter hæc a Gelricæ Duce Renium occupatum, et arces quædam, hisq; præsidia imposita. Non multo post Georgius Schægius Phrisiæ præses, uir militari gloria hoc nostro sæculo insignis, obsedit Asletū Cæsaris nomine, cū eo fuit Comes Embdius, oppidulū multa ui sæpius oppugnatū, sed maiore aliquāto defensum, ubi ab his qui obsidione tenebantur, fame laborari ceptum est, nostris aperitur ac deditur. Inde ipse & Iselsteynius, cui ut militaris disciplinæ scientissimo uiro Cæsaris copiarum imperiū datū erat, progressi Hatteniū ui ceperūt.

HADRIANI BARLANDI

Arx deinde dedita est. His auditis Harderovicē
ses, & ipsi paulo post imperiū accepere. Renuū
quoq; quod Gelrus occuparat receptum est, &
temperatum ubiq; ab iniuria. Ducum hac clemē
tia factum audio, ut multa alia oppidula, & ar
ces nostrorum se potestati fideiq; permisissent.
Post paucorum dierum quietem, cum ualida bel
latorum manu a nostris Tiela obsideri cœpta ē.
Excepere magnis animis Tielenses tantam belli
molem, exceptam suis & præsidij ab Duce acce
pti uiribus nixi fortiter tulerunt. Iselsteynius
post multos conatus spe potiūdi oppidi abiecta,
inde copias abduxit.

Anno M. D. xxviii.

Gelri cæsi a Buscoducensibus.

Traiectum a Cæsarianis occupatum.

Ex Ruremunda et Venloa oppidis Gelrie ciues,
cumq; ijs e pagis plurimi, subito tumultu die fe
sto Pentecostes annem Mosam transgressi Bu
scoducensium fines irrumpunt, agrumq; rapinis
& incendijs fœdant. Hoc cognito Theodoricus
Batenburgensis uir bellicæ rei non imperitus oc
casionem adeptus rei bene gerendæ Buscoducis
ubi iis

HISTORIARVM LIBER 3.

ubi tum erat finitimis e locis magna comparata
 armatorum manu, nec minōri rusticorum omnis
 generis Gelrum adortus, & fistibus, & telis p
 cuit, pars ensibus aut hastis prostrati ceduntur.
 Consternatio ingens oritur. Gelri nō Ducis sui
 imperium, non iussa exaudire, discurrunt alius
 alio, magis fugæ q̄ pugnae memores. Fit inde ap
 ta fuga, fugientes illos nostri usq; ad Mosæ ri
 pas sunt sequuti. Theodoricus uictor comiteatu, q̄
 multus hoc loco a fugientibus relictus erat, item
 bombardis, colubrinis, alijsq; machinamentis Gel
 rorum inde auctis ouanti similis Buscoducum
 uictrices reduxit copias. Eodem anno pri
 die uisitantis Mariæ, cum non multo post solis
 ortum Traiecti uigiles e stationibus suis disces
 sissent, & iam paterent ciuitatis portæ ingredi
 egrediq; uolētibus, Episcopi copiae ex improviso
 irruerunt, quibus ad cenobium usq; Minorita
 norū ingressis obijcientes se Gelri, partim cæsi,
 partim capti sunt cum Ducibus suis. Direpta in
 de eorum bona, q̄ Gelri partes sequuti fuerant.
 Loci antistes de urbe occupata factus certior,
 uenit & ipse, cuius est iussu publice animaduer
 sum in

HADRIANI BARLANDI

sum in ciues duodecim, qui tumultus & rebellio-
nis auctores fuisse credebantur, nec saeuiedi for-
tasse hic finis erat futurus, nisi Antonius Comes
Hoochstratanus, uir prudens & minime sangui-
narius, ex uicino oppidulo huc subito accurrisset,
cuius aduentu, omnis quieuit superior tempestas.
Per idem tempus antistes accepta pensione an-
nua Caesari Carolo cessit Traiectum, & cete-
ra loca omnia, quae antea ipse & sui praecessores
possederant. Traiecti, ut civili sublato dissidio,
in posterum pacate uiueretur, ad Catharinae por-
tam Caesaris iussu extructa arx est, perpetuo mi-
litum praesidio ad continendos in officio & fide
ciues. Hic finis belli fuit cum Gelro gesti. Pax
coiuit Gorcomij in Hollandia, & postea iureiu-
rando confirmata est Mechliniae in aede Apo-
stolorum principi sacra.

Anno M. D. xxix.

Veneti & Galli a Caesarianis fusi,

Pax Cameraci composita,

Obsidio Viennae, Morbus sudatorius.

Veneti ut Caesaris Caroli potentiam comminue-
rent, resumptis armis ad Neapolim occupanda
pro

HISTORIARVM LIBER 3.

profecti sunt, habebant sub signis quinquaginta
 armatorum milia, hunc numerum auxit Gallorū
 aduentus. Cæsariani audita eorum appropinqua
 tione, nocturnis horis summo silentio egressi, cæ
 sis uigilibus hostium castra inuadūt, & priusquā
 somno experrecti arma capere potuerunt, fune
 stam Gallo Venetoq; pugnam fecere. Est postea
 totis utriusque partis uiribus in aciem descen
 sum, & subito Ferdinandi Regis ad Cæsaria
 nos superuentu, in prælio, & mox in fuga, mul
 ta hostium milia aut cæsa sunt aut capta. Ea
 clade Rex Franciscus magis irritatus quam ter
 ritus, quinquaginta triremes instruxit, quibus
 onustis commeatu, machinis, alijsq; oneribus ad
 usum belli necessarijs, impositos armatos ad Hi
 spaniam misit, qui domo profecti non multo
 post secundo cursu Hispaniæ littoribus appel
 lunt. Expositæ itaq; in continentem copiæ, ma
 ritima loca fæde populantur, & quum obui
 um nusquam haberent hostem, spe occupandi
 regnum, & regios filios apud Cæsarem obsides
 liberandi longius progrediuntur. Haud cessauit
 in tanta occasione Hispanus, nam procedentes

HADRIANI BARLANDI

a tergo adortus, passim trucidat. Præter eos quos
 cæsi & quos pauciores fuga texit, cæteri omnes
 capti sunt. Eodem anno mense Julio a Gal-
 lis non minus male pugnatum est, quum in suis
 vexillis Aquilam gestantes Cæsarianos se men-
 titi Mediolanum nullis obsistentibus intrassent,
 atq; occisis qui urbem tuendam susceperant Hi-
 spanis, arcem quoq; nullo se negotio expugnatu-
 ros sperarent. Post dies enim non multos ijs de
 rebus certiores facti Arangius princeps & An-
 dreas Adorius diurnis, nocturnisq; itineribus in
 agrum Mediolanensem contenderunt, suis qui in
 præsidio erant opem & suppetias laturi. Dux
 arcis uidens adesse quos per nuntium uocauerat,
 Cæsareos exercitus, Cæsareosq; præfectos, subi-
 ta facta eruptione, Gallos qui locum cinxerant,
 adortus. Dimicatum est aliquã diu, fuitq; ab in-
 itio cruenta, & ambigua pugna, exitu uero infe-
 lix Gallico militi. Dũ enim atrociter intra mœ-
 nia certatur, qui foris erant Cæsariani urbe ca-
 pta suorum se copijs ingenti lætitia adiungunt,
 & fusum fugatumq; Gallum, cum cæde ac strage
 persequuntur. Plurimi ex Gallis sunt ea pu-
 gna de

HISTORIARVM LIBER 3.

gna desyderati, occubere cū ijs pleriq; nobiles.
 Anno eodem Nonis Augusti, q̄ est huius mē-
 sis dies quintus, inter Pont. Rom. Clementem
 eius nominis septimum, Carolum a primo huius
 nominis quintum imperatorem Rom. Franciscū
 primum Gallorum, Ferdinandum Hungariæ ac
 Bohemiæ, & Henricum Angliæ Reges, Came-
 raci in æde sacra uirgini Mariæ, congregato or-
 natissimo agmine procerum, assistente omni fa-
 stigio ordinis ecclesiastici, auspice deo, circum-
 fusa ingenti officiorum ac magistratuum ciuiliū
 multitudine, æterna pax est promulgata. Ac tū
 demū Italia, Hispania, Gallia, & Germania bel-
 licis curis solutæ quieuerunt. Ad hęc pacem cō-
 ponēdam, uenit Cameracum postridie Cal. Iul.
 Pontificis Rom. legatus Cardinalis Saluiatus.
 Quinto uero eiusdem mensis die, cum pulcherri-
 mo & aulicæ nobilitatis & ecclesiasticæ digni-
 tatis comitatu, uenerunt in eandem urbem duæ
 illustres sceminæ Margareta Caroli Cæsaris a-
 mita, & Ludouica Galliarum regis Francisci
 mater, quibus solis commissum fuerat a Cæsare
 & regibus faciendæ pacis negotium. Qua iam
 P 2 promul

HADRIANI BARLANDI

promulgata Galliae Rex Franciscus, die qui fit
 it Augusti nonus, cum uniuerso flore proce-
 rum regni sui Cameracum ingressus Margare-
 tam salutauit, a qua uicissim ipse non ut hospes,
 uerum haud aliter atq; numen quoddam caelitus
 demissum, exceptus est. Quo anno inter princi-
 pes Christianos pax coiuit, Ferdinandus multa
 sibi prius a Turcis Hungariae adempta loca rece-
 pit, & hostem suum Ioannem Vayeuodam, qui
 ad se regni iura pertinere aiebat, fugere coegit.
 Hic ita se uictum & expulsam iniquissimo ani-
 mo ferens, Turcarum tyranni rursus implorat fi-
 dem. Visa est huius causa Turcae satis digna qua
 totis uiribus tueretur. Itaq; cum ualidis exerciti-
 bus in Hungariam regressus, quae non multo an-
 te Ferdinandus recuperauerat, omnia rursus ex-
 pugnat. Inde ad Austriam ueniens, in morem tor-
 rentis omnia ui sua proculcat. Multo plura eius
 iussu edita sunt in pios crudelitatis exempla, quae
 fatu scriptorae quae aequare possit. Alij luminibus
 priuati, his manus, illis nares & aures praeci-
 gines, horum filijs uirilia adempta, corruptae uir-
 gines, matronis mammae mutilatae, pregnan-
 tibus

HISTORIARVM LIBER 3.

ribus exēctus uterus, flammis consumpti partus.
 His patratīs Viennā Austriae urbem fama &
 opibus celebrem graui obsidione adortus est,
 sexto Calend. Octob. Fama est eum ducenta &
 quinquaginta milia armatorum sub signis habu-
 isse. Obsidionis initio eruptione ex urbe fa-
 cta, p̄i repulsi sunt, e quibus captos complures,
 Turcarum Imperator Viennam remisit, nuncia-
 tuos suis, maximo & terrifico armorum ap-
 paratu ac uiribus aduenisse hostem. Si deditiōē
 facere ultro uellent, ab omni iniuria temperatu-
 rum, contra ferro & igni ad unū omnes interi-
 tuos, si pergeret obsidentis cursum impedire.
 Vbi uero contemptim se audiri uidit, totus in ci-
 uitatem uersus, fremere uehemēterq; indignari,
 & cū parte multo maxima copiarū eo cōfestim
 deuolās, tormētorū crebris ictibus, muro locis ali-
 quot disturbato, suos urbē inuadere iubet. Atroci-
 ter Viennā milites adorti, muros intrepide subeūt.
 fuit utriq; magnū, sed Turcis magis cruentū cer-
 tamē, p̄is egregie et ualide urbē suā defendenti-
 bus. Ad hunc modū semel et iterū tentati nostri
 multos e Turcis Orco demiserunt. 3, Idus Oct.

HADRIANI BARLANDI

impij tertium muros oppugnare incipiunt, utrin-
 q; clamor auditur. Duces suos quisq; ad locum de-
 stinatum ducunt, adsunt, hortantur, rem gerunt.
 Sed & hoc congressu impios uicerunt pij, saxis
 quæ ingenti pondere eminus incutiebant, in sube-
 untes Turcas deuolutis. Iuuabat & illud quod fa-
 ces certatim iacularentur intorquerentq;. Postre-
 ma oppugnatione tot labores desudati, tantum
 sanguinis fusum, tāta est edita Turcarum cædes,
 ut qui metu nostrorum Christianam urbem stre-
 nue propugnātium cesserant, nullis postea potue-
 runt, ne Imperatoris quidem sui comminationi-
 bus eo adigi, ut recurrerent. Nullum puto a cōdi-
 to æuo locum maiore mole oppugnatum, nullum
 magis strenue defensum. Vicies, ut fertur, hostis
 subiit muros, uicies cum ingenti strage a mœni-
 bus repulsus. Diuorum uirtute, nec non ciuium,
 & militum fide mansit inter tot terrores res Vi-
 ennensis ad exitum incolumis. Turcarum Impe-
 rator post multos irritos conatus spe potiunda
 urbis abiecta, ad Idus Octob. exercitum abdu-
 xit, sexaginta hominum milibus & amplius in
 oppugnatione amissis. Postridie a Christianis
 obsidio

HISTORIARVM LIBER 3.

obsidione liberatis templa lustrata, supplicatiões
 habitæ, gratulatio facta est. Per idem tem-
 pus sub festum Michaelis, nouum & inauditum
 morbi genus, Sudatoriam uel Anglicam pestem
 dixere, Brabantiam & loca finitima inuasit. Fu-
 it ea uis morbi adeo lætalis, ut quosdam ante dua-
 decim horas, plurimos ante uigesimalam quartam
 horam, ex quo sudare ccepissent, absumpserit.
 Sed nusq̃ seuijt atrocius q̃ Antuerpiæ, in qua ur-
 be tridui spatio quadringentos aut quingētos hoēs
 extinxit. Languēbāt in domo una, septem, octo,
 plures etiam, Miraculi loco habitum est, si unus
 mortem euasisset. Immunes erāt pueri, & senes
 ab hoc malo. Qui media ætate essent, aut non
 multo infra hanc, ij incidebant in morbum. Præ-
 dentes, commessantes, dormientes corripiebat
 hæc pestis. Ditissimi negotiatores lectis affixi,
 medicos ad se uocabant, montes auri promittētes
 si curarentur. Sed tantum erat malum, ut ipsi me-
 dici faterentur se nescire quid esset. Tales mor-
 bos incurabiles Deus in iram sceleribus nostris
 prouocatus immittere solet. Et nūc pessima quæ-
 dam uidentur portendi mortalibus, nisi malis ra-
 tionibus

HADRIANI BARLANDI

tioibus finē fecerint. Deus nō hœdorū sanguine,
 aut frugū primitijs placatur, sed innocētia, uerita-
 te, castitate, fide, cōtinentia. Hic non possum sa-
 tis mirari hominum stoliditatem, quum nobis hoc
 malum immiserit. Deus uitijs hominum exacerba-
 tus, culpam in alia reijcimus, & ut canes solent,
 proiectum mordemus lapidem, non attendentes
 ad eum qui proiecit. Dominus est qui nos uocat
 ad morū correctionē, nec audimus admonētē, sed
 friuolis causationibus ipsi nobis blādimur. Pie fe-
 cerimus, si hanc calamitatem suis quisq; nostrum
 peccatis imputauerit. Nullus enim mortalium pu-
 rus ē ab omni crimine. Eodem anno xxix. in su-
 periore Germania mire caluit Idolomachia. Per
 hæreticos eiectæ sunt templis diuorū imagines,
 sublata funditus missa, ritusq; ecclesiastici, mo-
 nachi simul et monachæ iussæ sunt ponere sacræ
 uestem, aut alio demigrare. Multæ apud Germa-
 nos, Heluetiosq; ciuitates in hoc fœdus nomen de-
 derunt.

An. M. D. xxx.

Coronatur Cæsar Carolus quintus,
 Inundantur Brabantia, Flandria, Hol-
 landia

HISTORIARVM LIBER 3.

landiæ littoralia loca, et tota fere Selædiâ,
 Moritur Caroli amita Margareta,
 Ingens Romæ tempestas.

Hic annus insignis fuit coronatione Caroli Cæ-
 saris, huius nominis quinti, Bononiæ die uige-
 simo secundo Februarij, in æde Petronio sacra,
 assistente omni fastigio ordinis ecclesiastici,
 congregato simul uniuerso flore procerum. Im-
 peratoria corona insigniuit eum. Clemens Pon-
 tifex Romanus, eius appellationis septimus.
 Ab hac coronatione profectus in Germaniam,
 substitit aliquandiu Augustæ, ut tota passim
 provincia gliscentes hæreses aboleret, & perni-
 ciosissimam tempestatem uerteret in tranquilli-
 tatem. Iam enim sectæ erant hominum a priscis
 ecclesiæ ritibus desciscentiû, et ad cõuellendâ im-
 pijs modis, ac penitus demoliedam ueritatē hære-
 ses iã pridem explosas, atq; extinctas importune
 excitantium. Lutherani, Anabaptistæ, Sacramen-
 tarij seu Ecolampadij. Sacramentarior. ppugnator
 strenuus Carolostadius sparsis libellis aliquot
 germanice scriptis, psuaserat in Eucharistia nihil

HADRIANI BARLANDI

inesse præter aquam & uinum. Is error tanta ce-
 leritate corripuit omnium animos, ut ad Naphtan
 flamma tardius transuoleret. Eodem anno
 Nonis Nouembribus Brabantiae, Hollandiae,
 ac Flandriae loca littoralia, maritimaq; Selandia
 propemodum uniuersam, dira aquarum obruit al-
 luuio, ruptis aggeribus mari & fluminibus pas-
 sim inundantibus cum magna & hominum, &
 rerum strage, non tantum pagi, sed & oppida Fla-
 diae atq; Selandiae enauigata sunt cymbis flumi-
 nibus. Ferunt maria omnia adeo insolenter per
 id tempus aucta, ut ternis aut quaternis pedibus
 supergressa sint aggerem. Scio fuisse paucos ad-
 stas non deprehenderit. Vidisses ruere per aper-
 tos flumina campos, cumq; satis arbusta simul,
 pecudesq; uirosq; & rapere tecta cumq; suis pe-
 netralia sacris. Mare & tellus nullum discrimen
 habebant, omnia pontus erat, deerant quoq; litto-
 ra ponto, occupat hic collem, cymba sedet alter
 adunca, & ducit remos illic ubi nup ararat. Ex
 hac alluione multa religio mortaliu animos in-
 uaserat tanq; maiora adhuc impenderent mala.

Omnia

HISTORIARVM LIBER 3.

Omni ætati, omni sexui, quibusdã locis ieiunia
 indicta, supplicatũ ẽ sæpius solenni modo ad cœ
 lestẽ irã auerruncandam. Si noctu euenisset tam
 subitus et grãdis cataclysmus, nõ dubiũ quin plu
 rima hominum milia fuerit absorpturus. Sed hoc
 est clementissimi patris, nostris sceleribus offen
 si iudicium, clementia ineffabili mitigatum, qui
 non uult mortem peccatoris, sed ut huiusmodi fla
 gris admonitus corrigatur & uiuat. Sic olim Do
 minus per ranas, locustas, cyniphes, aliasq; pe
 stes inuitauit Aegyptios ad pœnitentiam.
 Ego multiq; alij & in patrimonij, & in sacerdo
 tij agris hoc diluuiõ, cui uix queant æquipa
 rari plurimæ inundationes in unum conflatae,
 grauem fecimus iacturam, quæ tamen feren
 da est, & beatus Iob imitandus, qui ad omnem
 ærumnarũ impetum p̄mansit immobilis. Si mul
 to grauiora illum leuiter placideq; pertulisse in
 uenimus, turpissimum fuerit nos in leuioribus mi
 nus esse fortes. Si tantum malorum iusto illatum
 est ad probationem, cur nos peccatores conquere
 mur cum castigamur ad correctionem, punimur
 ut resipiscamus, percutimur ut conualescamus?

Eodem

HADRIANI BARLANDI

Eodem anno Apostolo Andreae sacro die, morte obiit Mechliniae illustrissima Caesaris Maximiliani filia Margareta, anno ætatis quinquagesimo primo, cum cæteris uirtutibus clara mulier, tū nō uno iustitiæ exēplo digna quæ omni æuo celebretur. Qua nocte animam creatori suo reddidit mulier hæc clarissima, Cometes uisus traditur apud Hagā Comitum in Hollandia. Mechliniæ in templo diui Petri cantatis mortualibus cadauer eius deducente ordine procerum aulicorum Brugas aueritur, & sepelitur extra portas urbis in cœnobio quod Mariæ annuntiationis dicitur. Anno eodem Nonis Octobris Romæ præter tonitrus ingentes, & crebros ignes tanta uis aquarum cælo decidit, ut altero se peritura dituuio metuerint homines. Tybris se effundentis impetu & publicæ & priuatiæ domus corruerunt. Atrox uis tempestatis huius secum rapuit & in alueum fluminis deportauit etiā ædificia, quæ trium aut quatuor fœtilium lapidum densitate constabant. Si qui uitæ seruandæ studio & cupiditate conscenderant tecta alta domorum, hos uentorum uiolentia humi decussos, Tybe

HISTORIARVM LIBER 3.

Tyberinis undis absorbendos dedit. Locis urbis depressioribus aquæ in triginta trium aut sex pedum altitudinem sese extulerant. Vnde factum est, ut frumenti quod tum erat in urbe plus quam tria modiorum milia fluctus absumerint, præter uinaria uasa, quæ dissoluta effuso liquore aquis innatabant, & alia per multa preciosissima quæ in penarijs hæc tempestas repperit.

Pontifex Romanus Clemens septimus eius nominis, cum propter bellicos tumultus plures se mens intra urbem continuisset die quem sub nocte interpesta sequuta est tempestas, motandi corporis gratia, laxandi, leuandique animi causa in Hostiensem agrum abierat.

Anno M. D xxxi.

Ferdinandus Rex Romanorum declaratur,

Terræ motus in Lusitania,

Fusæ Turcarum copię a Ferdinando.

Ianuarij mensis xi. die, Carolus quintus Imperator frequenti procerum Germaniæ cõuentu, admirabili populorum atque optimatum consensu Aquisgranum Ferdinandum Bohemiæ & Hungariæ Regem fratrem suum, ut gradum ei faceret ad Imperium Regem Romanum declarauit, quo eodem fa-

cto.

HADRIANI BARLANDI

Et, hoc est fratre suo ad gubernacula tantarum rerum promotus, Carolus Caesar & orbi consuluit, & Christianum nomen, & Romanum imperium amplificauit. Anno eodem, septimo Cal. Feb. motu terræ concussa est tota fere Lusitania. Vlyssippone corruerunt mille et quingenta domus ex omnium spectatissimis, plus sexcenta ruinata sunt. Tempora omnia in lapidum acervum redacta traduntur. Hic motus terræ dies octo durauit, & quotidie per interualla redijt, ut septies aut octies interdum huic periculo fuerint obnoxij incolæ, unde relicta urbe homines in campis sub dio agere sunt compulsi. Ad hæc ex locis illis quidam scripserunt, certos hiatus factos, unde pestilentissimus aer exhalaret. Atque hinc atrocem exortam pestilentiam. Ex inundationibus quæ solito frequentius contingunt, ex terræ motibus eadem nescio quid diuinem, nisi extremum illud diem instare, quem diuus Paulus omnino Christiano homini, omnibus uotis expectandum præcinit. Agente Aquisgrani a coronatione Ferdinando, tunc ratus Turca uenisse tempus quo rem Christianam uel modico conatu affligeret, in Huns

HISTORIARVM LIBER 3.

in Hungariam recurrit, Viennam iterum tētare
 uolebat. Hac de re acceptis literis Ferdinandus,
 quum ad suos scripsisset uti uiderent ne maius
 aliquod detrimentum Christiana respublica pa-
 teretur. Duces castra castris contulerunt, cum ho-
 ste in aciem descenderunt. Fuit nouo Romano-
 rum Regi, id praelium felix, copiarum Solyma-
 ni parte multo maxima aut capta aut caesa. Vti-
 nam huic principi Deus felices proroget annos,
 ut debellatis fidei hostibus Turcis, qui or-
 bem terrarum spe amplectuntur, sanctam ur-
 bem recipiat, & adoret in loco ubi steterunt pe-
 des eius qui nos sanguine suo a morte uindicauit.

Anno eodem stella crinita uisa est mense
 Augusto de qua uariae doctorum hominum opi-
 niones fuerunt, alijs aliud portēdere eam, ac mi-
 nari affirmantibus. Sequuta est longa siccitas, et
 caritas rerum omnium, maxime frumenti. Vnde
 uulgi ac multitudinis exaudita querelae magi-
 stratus suos incusantis, in eos pbra et maledicta
 facientis, ut malorum omnium autores. Hi sunt mo-
 res uulgi. Si quid incōmodi est cuius causam igno-
 ret, culpam reijcit in eos quorum cōsilio Resp. ad-
 mini-

HADRIANI BARLANDI

ministratur. Eodem anno & mense in
 littora Hollandiæ non longe ab Herlemo, mare
 piscem eiecit mortuum, qui longus fuerit pedes
 sexaginta octo, crassitudini eius qui uiderit tri-
 ginta, oris hiatui tredecim pedes tribuunt. Idem an-
 nus Ludouicæ matris Francisci primi Gallorum
 regis morte, et uictoria Poloniæ regis cõtra Vay-
 euodã Muldauicæ Turcæ tributariũ, et Valachos
 insignis fuit. Valachi bis cum Polono manus con-
 seruerunt, Polonus utroq; pralio superior, prio-
 re Valachorum sex milia profligauit, ex quo nu-
 mero multi cæsi, capti sunt q̄ plurimi, altero ipsũ
 quoq; Vayeuodam duobus uulneribus saucium fu-
 gere coegit. Per idem tempus Veriensis
 princeps Adolphus Duuelandiam Selandiæ in-
 sulam ab undis recuperauit, & in eam aggeri-
 bus muniendam impendisse dicitur aureorum
 quinq; & septuaginta milia. Eodem anno
 tertio Nonas Septẽbres fato defuncta est Dul-
 cia mater mea, cuius animæ precor Deum propi-
 tium, & inter piorũ animas quietem perpetuã.

Anno M. D. xxxii.

Princeps Bergensium moritur, In supe

HISTORIARVM LIBER 3.

In superiore Germaniã reuertitur Carol. Imp.
 Mense Ianuario Bruxellæ ex humanis decescit,
 etate ad uesperam uergente, clarissimus Prin-
 ceps Ioannes a Bergis, uir factus ad utilitatem
 patriæ, sculptus ad ornamentum aulæ ducalis, ad
 decorãdam imperij maiestatem datus diuinitus.
 Vixit tribus summis principibus longe gratissi-
 mus, Maximiliano Cæsari, Philippo Regi Ca-
 stellæ, & qui nunc imperat Carolo Philippi fi-
 lio. Ioannes de quo loquimur, hæredem reliquit
 Antonium filium unicum, qui mira indole sum-
 mam spem de se præbet, & quod perrarum est
 inter felices, bonas literas etiam amat, & me li-
 terarum gratia.

Eodem tempore quo Ber-
 ganus princeps obiit, Carolus Cæsar ex Braban-
 tia in superiorem Germaniam redijt ad sedandã
 immanem ecclesiæ tempestatem. Est immanis
 omnino, & atrocissima tempestatas, quum homi-
 nes Christi nomen profitentes eo uesaniæ pro-
 labuntur, ut Pontificem Romanum, nunc be-
 stiam, nũc meretricem illam Apocalypticam uo-
 cent, Episcopos & sacerdotes ipsi sibi eligant la-
 icos, rudes, uxores, & liberos habentes, Docto-

HADRIANI BARLANDI

res oēs ueteres & nouos, et libros eorū contēnāt,
officia missarum absq; ullis uestibus sacerdotali-
bus celebrent, uigilias & ieiunia rectorum esse
hypocritarū, festa Deiparæ, Apostolorum, &
aliorum diuorum inuenta esse ociosorum affir-
ment. In Sacramento Eucharistiæ nihil esse di-
uinitatis credant, & p̄pterea in idololatriam ca-
dere omnes, qui genua coram illo flectunt, &
incuruant. Non potest animus uere Christianus
non ingemiscere, consyderans quo prolapsi sint
hominum mores. Orandus est Deus pastor æter-
nus, ut disiectas palantes, ac dissipatas oues ad
Ecclesiasticæ concordie caulas reducere, & Ca-
roli Cæsaris recta consilia fauore suo prospere
dignetur.

Historiam obsidionis Papiæ ideo non po-
suimus suo loco, propterea quod prolixius nar-
randa sit, neq; uidimus id commodius fieri pos-
se quā in exitu libri huius. Ea igitur sic habet.

Aduer-

HISTORIARVM LIBER 3.

Aduersus Carolum quintum Hispaniarum Regem, & iam electum Romanum terra marique præpotentem principem spiritus erigere est ausus Rex Galliarum Franciscus eius nominis primus, uel quia prælatum sibi in imperio ægre ferret, miserat enim & ipse non unam legationem ad electores sacri imperij, uel quia illustrandi nominis occasionem quaereret. Siquidem persuasum est, nescio quomodo Christianis regibus haud fieri posse, ut alia uia quam bellicis inter se gerendis, imo fortasse uerius dixerim, exercendis atrocibus immortalitatem parent. Itaque belli huius initio Gallus quædam loca nostrates Gallo ademerunt. Virique a belli imperatoribus res curata haud segniter, quid casu, quid industria, parari possit, hinc atque illinc prospectum est. Tandem & Mediolanum Gallo ademit Carolus. Eratque supra M. D. uigesimus quartus a Christi natali die annus, quum Septembri mense exercitus Cæsarei Massiliam obsiderent urbem insignem & antiquam Galliae. Duces exercitus erant Carolus Borboniae princeps, qui nuper ob causas, ut fertur, iustissimas,

HADRIANI BARLANDI

a Gallo ad Cæsare defecerat, et Marchio Pifca
 ricæ uulgo sic nominatus, ambo uiri ad omnia uel
 excogitanda uel explicanda cōfilia prudētiffimi.
 Gallorū Rex Francifcus p idē tempus ex diuer
 fis Europæ locis acri delectu undiq; habito, ma
 gnos contraxerat exercitus ad foluendam Maf
 filiaē obfidionem. Huc iri, huc properari, noctes
 diesque cum audiffent Cæsareæ Duces militia,
 relicta Maffilia, copias alio fuas abduxerunt.
 Erat enim uiribus longe fuperior Gallus. Cui
 cum renuntiatum effet totam ferme Insubriam
 peftifero morbo uaftatam, graffari fœuireque
 indies hoc malum inclementius, cum tam inftru
 cto exercitu Italiam petere conftituit, cuius bo
 nam magnamq; partem fe fperabat facile &
 paucis quidem diebus in fuam potefatem re
 dacturum. Is mira igitur & incredibili cele
 ritate fuperatis Alpibus, ineunte Octobri agrū
 Mediolanenfem attigit. Interea pari ftudio
 efl eo properatum a Cæsarianis Ducibus. Hi
 illius Duces cum equitibus aliquot Mediolanum
 ingreffi funt, Regi & copijs eius hofpitiā peti
 tū.

HISTORIARVM LIBER 3.

turi. Hæc agitanter subito oppressit Ferdinādus Archonus, qui præfectus erat castrorum Cæsaris. Intra moenia occisi aliquot, cæteri qua poterant fuga dilapsi. Haud multo post Neopolitanus Vicerex cum suis & ipse copijs eo properavit, cuius aduentu principis dictu mirum, quã tota exultauerit ciuitas. Ducibus in animo erat, huc uniuersum traducere exercitum, urbemque defendere, si quid Gallus moliri uellet. Sed dum neque muro, aut uallo satis munitam, neque in turribus & propugnaculis quicquam bellicarum uidissent machinarum, relicta ea Laudam Pompei uenerunt, deinde Papiam (sic enim nunc libet notiore uulgo appellare uocabulo) Dux concessit Cæsareus Antonius congnomēto Lyena, uir in primis strenuus. Quamquam æstate quæ præcesserat, ingentem ciuium uim absumperat morbus pestifer, Antonius tamen oppidum hoc defensurum se facile sperabat aduersus gentem Gallicam. Sub Idus itaque Octob. hostium exploratoribus in Papiensi agro inspectis, Dux ipse una cum præfecto castrorum Cæsaris moenia obsequitās, muniri loca

HADRIANI BARLANDI

omnia, ferrea & aenea tormenta, globosq; tormentarios subuectari, aggerem intus substrui, deniq; nihil non eorum parari iubet, quæ ad ar-
 cendum hostem pertinere existimaret. Dū hæc
 Papiæ aguntur a ciuibus & milite qui intus e-
 rat, Gallorum Rex cum suis proceribus ad Car-
 thusianorum haud longe ab oppido disitum cœ-
 nobium, uenit quinto Cal. Nouemb. Eodem tpe
 & ab huius exercitibus obsideri, & oppugnari
 cepta est Papia. Hic Cæsariani una atq; altera
 impressione sustentata, Gallos aliquam multos
 trucidant, alios in fugam agunt. Postridie uni-
 uerso Ticini occupato suburbio, Galli mœdina
 (sic enim uulgus nominat, quibus ad uictum quo-
 tidianum paratur farina ciuitati) partim ferro
 subuersa in flumen præcipitant, partim ignibus
 dedunt, ita futurum sperantes, ut his sublatis, &
 pediem panis laboraret inopia ciuitas. Verum
 huic malo statim occursum ac inuentum est re-
 medium, factis intra mœnia ligneis huiusmodi
 molis, quas equi pariter ac homines in gyrum a-
 gerēt. Hic passim in sacellis, in scholis legum ci-
 uilium (est enim hæc urbs gymnasio quoq; insti-
 gnis

HISTORIARVM LIBER 3.

gnis) farinam parari uidisses. Turricula erat in
in ripa Ticini haud löge a mœnibus, unde Hispano-
norum armata manus facile Gallum phibebat,
ne ad urbis murum accederet. Hic certatum ali-
quandiu cū esset, neq; rebus indies pessum eunti-
bus amplius ferre uim hostium possent, Hispani
corporum pacti incolumitatem, se dedūt. Victor
Gallus contra fidē datā, omnes q̄ eū paulo ante
locum tutati fuerant, suspendio necauit. *Quam*
rem, ut par erat, iniquissimo tulit animo Dux
Cæsareus. Turrim Papiensibus ademptam Gal-
lorum aliquot pedites conscendunt, omni telorū
genere diuexātes Germanū, q̄ ea parte ad tuēda
mœnia dispositus erat iussu Ducis Antonij. Tam-
dem eo aduecta machina, quæ huic finē incōmo-
do maloq; fecerit. E muro enim ferreis iniectis
globis non sine Gallorum strage corruit turricu-
la. Octauo Idus Nouembris, de communi sentē-
tia ad oppugnandā urbem totus ferme exercitus
rapitur, magnoq; bellicarum rerum apparatu in-
structus ad ipsas quoq; fossas admouetur. Qui in-
tus erant, uasa lignea, terram, alia multa compor-
tare, aggeres erigere, nihil hosti opportunū re-

Q 4 lingus

HADRIANI BARLANDI

linquere, nihil sibi quod idoneum ad depellendū
 esset neglectū permittere. Hoc statu rerum Hip-
 polyta Masalpina singularis animi mulier, nūc
 plures Germanos Hispanosq; nunc singulos co-
 ram benigne appellasse, fortes confirmasse, timi-
 dos erexisse, alios alia ratione cohortata, & ut
 bonum haberent animum iussisse traditur. Biduo
 post dissectis primum haud uno loco muris boni-
 bardaz ictibus, acerrime pugnatum est, dū neuiri
 cedere loco uolūt. Tandē strage multa superati Gal-
 li, alij interficiūtur, alij in fossas præcipites dan-
 tur. Hoc nodū pacto prælio, Galli alia urbis pre-
 ciues multa ui oppugnāt, sed maiore aliquanto ij-
 se defensitates resistūt. Interea Antonius Lye-
 ua Cesareoz Dux exercituum suos admonere, ni-
 hil pulchrius esse q̄ p gloria certare, meminisse
 eos debere cū hostibus rē geri, quos sæpe alias ui-
 ci sent ipsi. His uel paucis accessi milites, ferocius
 multo ad pugnam pcessere, uictoriā sibi certā p-
 cæsi, multi in fossas præcipitati & lapidibus ob-
 ruti, quorum casu conseruati alij deserta oppu-
 natione trepidi se in castra recipiūt. De hac uicto-
 ria An-

HISTORIARVM LIBER 3.

ria Antonius statim datus ad Viceregem Neopolitanum literis, fatigatum militem passus est conuiuijs ac lusibus se reficere & quietem capere. Interim ipse haud decere existimās principem uirum, cui exercitus commissi sunt, in cuius cura pendent rerum tanta momenta solidam dormire noctem, qui fracti erant aggeres instaurandos, trabes, grandia saxa in munitiones deferenda curat, urbemq; obequitans nihil usq; neglectum patitur. Vrbe tota supplicationibus decretis immortalī Deo sunt actæ pro uictoria gratiæ. Per eosdem dies apprehendit equitē quendam Antonius, qui Gallorū Regi significasse dicebatur in urbe multā esse pulueris tormentarij inopiā, uigilaret ipse, haud fieri posse, ut obsessi resisterent diutius. Hic talis quæstioni subiectus crimen confitetur, ac publice exenteratus membratim diffecatur, ad omnem proditiōnis materiam in futurū tollendam. Sub exitum mensis Nouembris Galli animaduertentes quæ parte oppidi labitur Ticinus amnis, sine fossa, & uallo esse mœnia, statuerunt ab alueo ueteri, in aliam partem aquas deriuare, ut ita
 Q s facili

HADRIANI BARLANDI

facilius ad patentia urbis mœnia peruenirent.
 Restentata, coniectis in alueum trabibus, ra-
 mis & arborum truncis maximarum. At non
 successit, impediri enim haud potuit, ne in con-
 suetum recurreret locum Ticinus. Hic dum Gal-
 lus incassum per dies aliquot laborat, Cæsari-
 ani interea totam eam quæ fluiuium spectat par-
 tem excitato aggere muniunt. Secundum hæc mi-
 lites Germani cateruatim ad Ducem concurren-
 tes, stipēdia sibi debita exigere, unde se uestiāt,
 unde uentri quoq; satisfacciant. Dux Antonius
 audita militum querela, cum nihil superesset
 monnorum, animo uehementer anxius diuer-
 sa secum, & cum suis consilia agitare cœpit.
 Decretum est tandem, ut mercatores pannarij
 militem uestirent obsidione soluta a Cæsareo
 quæstore pecuniam accepturi, nūmos exteri mu-
 tuo darēt. Verum hinc modica coacta summa ē,
 rari enim ciues, rarus erat in urbe mercator, bo-
 nā nāq; ciuium partē superior absumserat pesti-
 lētia, multi quoq; iā impendēte obsidione, Papiā
 reliquerāt. Præfecti igitur oppidi & magnā sa-
 lis quantitatē & quod mutuum ab Alexandrinis
 quibusdā

HISTORIARVM LIBER 3.

quibusdam negotiatoribus, quae eo uenerat, accepissent
 frumentum, publice uendiderunt. Sed ubi nec his quae
 de modis tantum contrahi potuit signatae pecuniae,
 ut militi solueretur, nobilis Dux Antonius sua
 argentea uasa omnia conflari, et in numos conuertere
 iussit, unde stipendium est militi ministratum. O
 uis, cantari dignum. Hic argenteam suppellectilem, ut
 bellum gereret, ut ciues defenderet, conflauit.
 Alij ut ciues suos expilent, ut aurea et argentea
 uasa comparent, bella gerunt. Crescere coepit hoc
 tempore obsidionis calamitas, tanta enim labo-
 rarium est inopia rerum omnium, quae ad uictum
 pertinent, ut equinae carnes et asininae obsessis
 pro cibo fuerint. Mali huius datam causam exi-
 stimo, quod ubi haud multo ante allatus intra ur-
 bem nuntius fuisset, Caroli Caesaris propediem
 uentura auxilia, in magno et publico gaudio
 exercituum Duces, prandijs aliquot nimis opipa-
 ris militem adhibuerant, unde penuriam absum-
 ptis omnibus nasci fuit necesse. Per eosdem dies
 etiam lignis ad cibum coquendum deficientibus,
 miles pulcherrimas ciuium aedes diruit. Tam durum
 est telum necessitas. In his malis laceessere ob-
 sessum

HADRIANI BARLANDI

festum Gallus, Germano excubias agenti, Asini
 nae carnis esu exprobrabat. Quibus commoti illi
 per castellum protomatyris vicinum aedicae se
 pripietes, Galloru una cohortem fudere. Hic ad-
 dunt quidam hominem Minorita, ad Antonium q
 urbi & copijs praesidebat ab Rege Gallorum
 extrusum, ut de tradenda sibi in manu Papia cu
 eo ageret, futurum ut a rege magna auri uim, atq
 annuos acciperet puenius amplissimos. Ad qua
 uerba Dux egregius, qq; fide muneribus antefer
 ret. Te, inquit, monacho cu tua istac praecleara le-
 gatione laqueo uita hodie finire iuberem, nisi co-
 gnita mihi e. Tet in te morum probitas, ut aq; san-
 ctimonia. fuisti enim mihi aliquando a confesse
 onibus. proinde abi, neq; de re huiusmodi postu-
 lac me adeas. Regi tuo, qui huc te misit re-
 nuntiabis, Papiam Caesaris esse, qua si ille sua
 esse uelit, armis & suorum sanguine nobis adi-
 mat oportet. Nihil remisit per hos dies re-
 rum omnium caritas. Iam una emebatur
 gallina semiducato. Paulatim res eo inualu-
 it, ut uix equinae & asinae reperirentur.
 Quum obsessi pene quotidie in hostium castra
excit

HISTORIARVM LIBER 3.

excurrerent, eosq; sepius nihil tale metuentes
 adorirentur, Callus ambitum urbis quantum es-
 set fossa & uallo cingere festinat, ne Papi-
 ensium exploratoribus, si quādo exissent, facilis
 esset in urbem reditus, neq; auxiliares copiae ad
 obsessos ingredi sine pugna ualerēt. Rumor enim
 in castra Gallica manauerat, septem Germano-
 rum milia aduentare subsidio Caesarianis, easq;
 copias ad ciuitatē Laudensem profectas, partim
 intra muros, partim sub moenia confedissee. Hac
 item causarex Calliarū magnis stipēdijs oblatis,
 maioribus pollicitis, ad se accersuit Ioannem Me-
 diceum bellicosum, acrem, atq; in uictorijs enu-
 tritum uirum. Qui in Regia castra cum armata
 peditum manu puenit pridie nonas decemb. Hu-
 ius aduentus spem uictoriae magnam Gallorum
 ducibus, maiores Regi spiritus excitauit, qui sub
 appulsum candida uexilla quindecim haud longe
 a ciuitatis muro disposita ostentat, ita futurum
 ratus, ut nouitate rei & spectaculo insolito per-
 terrefaceret hostium animos, dehinc eiusdem pe-
 ditēs, admotis ad urbem scalis, eam capere sunt
 conati. Sed accurrens tempestiue Germanus im-
 petu

HADRIANI BARLANDI

petu factu, militem Mediceum facile deiecit. It-
 rum stipendia efflagitare Germani, quibus &
 strenuis & in eo rerum statu necessarijs mili-
 tibus, ut per omnia satis fieret, Antonius a cano-
 nicis templi maioris mutuum accepit, fasces, in-
 signia, uel argenteos ut puto baculos, qui Tici-
 nensis scholæ rectori ad comitia uel eunti alio,
 præferri consuerant, etiam mutui nomine accep-
 tos in nummum conflat, a singulis quoq; civibus
 aliqua pecuniæ portio data est. Acceptis hinc sti-
 pendijs Germani, quocumq; res uocaret alacriter
 ire, nusq; imperia detrectare, nulla nõ in re offi-
 cij memores esse. Per hos dies multo erat anno-
 na carior, & cibarium inopia maior. Nusquã
 nunc uidisses in foro uenales perdoes, uertures,
 & fasianos. Porrum & cepe in horum successu
 rant locum. In macello tantũ equina & asinina,
 panis fursuraceus per omnia urbis loca uenunda-
 batur. Iam dominici natalis aderãt festi dies, quo
 tempore Alphonsus Ferrariæ princeps magnam
 tormentarij pulueris copiam transmisit ad regẽ
 Gallorum Franciscum. Hic puluis ut tuto castris
 inferri possset, Ioannes Mediceus cũ satis magna
 equitũ

HISTORIARVM LIBER 3.

equitum manu ad septuaginta passuum milia cō-
 tendit obuiam. Aduecto puluere, Gallus exultās
 minitabatur se colubrinis, bombardis, omni armo-
 rum genere Papiam breui oppugnaturum. Hic
 ingens terror, ac trepidatio ciuitatem inuaserat.
 Virgines, matronæ, sacerdotes tēpla adire ac di-
 uorum opem implorare iussi, pacemq; per aras
 exposcere. In tanto metu ualde confirmati sunt
 militum pariter ac ciuium animi, quum insignis
 Dux Antonius, in senatu literas recitasset, qui-
 bus a Vicerege Neapolitano certiores fierent,
 eum octo Germanorum milibus, & sexcentis e
 Burgundia equitibus in Veronensem agrum ue-
 nisse Ducem Borbonicæ, ad futurūq; eū propediē.
 Extitit paulo ante hos dies frigus atrocius, ut
 rursus necesse fuerit ex ciuium domibus, ligna
 ac trabes ad ignis usum reuellere. Nonis Ianu.
 Galli turrim quandam in mœnibus sitam, machi-
 nis & tormentis æneis quater incipiūt. Biduo
 continenter quassata, ex parte concidit. Hosti
 præter spem hæc res euenit, constituerant enim,
 si tota corruisset, per ruinas eius in urbem in-
 gredi, id quod factu non difficile fuisset, nulla
 enim

HADRIANI BARLANDI

enim fossa ad eā erat urbis partē. Haud multos post dies arcem quandam strenue magis q̄ feliciter oppugnare adorti magna suorū strage a fossis incenibusq; sunt repulsi. Quāq; nec Germanis, qui arcem defensu abant, incuruent a hęc fuit uictoria. Postridie Hispani cum Germanis uallū conscendunt, magnosq; impetu in tormentorum custodes illati, prælium committunt. Cæsis plerisq; alios in urbem captiuos ducunt. Iamq; tertium stipendia petentibus Germanis, decretum est, ut cæpedinarij, lanij, pharmacopola, cæteriq; ciues, qui opificio manuario quæstum facerent, aliquam darent æris portionem. Antonius ipse ut nusquam non esset sui similis, quod gestabat aureum monile conflauit, Hispani armorum Duces quidam opulentiores, mutuum dederunt. Hac pecunia placatus miles, Ducibus suis per omnia paruit. Taceo hoc loco crebras Ticinensium in Gallos eruptiones, & pugnas, & leuia pleraq; in ita certamina, quibus nunc cæsi multi, nunc multi etiam capti. Sexto Cal. Feb. Dux Eorbonius, cum ualida manu apparuit in agro Laudensi.

Hæc

HISTORIARVM LIBER 3.

Hæc res ad Gallum ubi manasset, postridie ma-
 ne tormeta omnia, quæ urbis incenia spectabāt,
 auhenda curauit ad locū, qua uēturas putauit ho-
 stium copias, ita prohibuit ne propius accederent.
 Militū quoq; in urbeculis, quas occupauerat, hyste-
 mantem, ad castra uocauit. Borbonius uero, &
 Vicerex Neapolitanus, ubi iam Gallos adoriri
 statuissent, rati quod postea euenit, superiores se
 futuros, cum suis iam propius accesserant exerci-
 tibus. Idēq; dies uenerat sextus ante Cal. Marti-
 as, quo tpe ex loco castrorum eminentiore Papi-
 ensibus, qui plus quatuor iam menses inclusi te-
 nebantur, belli data signa. Quod ubi intellexit
 copiarum Cæsaris in urbe obsessa præfectus,
 mire exultans, bona enim spes habebat animū
 eius futuræ uictoriæ, convocatis suis. Nunc ani-
 mis opus est milites, inquit, uocati nos fortunam
 sequamur. Maestri uirtute estote, qua me euntem
 uidetis, sequimini Duce[m]. Hæc ubi dixit, reli-
 ctis qui urbem tuerentur, copias educit. Pri-
 mum omnium tribus locis effracto arietibus,
 castrorum muro, qui Gallicas acies egregie
 tenebat, Cæsariani nullum irrupunt.

R. RES

MADRIANI BARLANDI

Rex ubi hostem intra munitiones esse audiuit,
sub auroram iubet una cum bellicis machinis ob-
uiam ire armatos, qui resistent & Caesarianos
prohibeant. Itur, pugna comittitur uaria, atrox,
cruenta. Et iam Galli nostratium bellica instru-
menta maiora obtinuerant, Caesariani pedem re-
trahebant, quum Alphonsus Marchio Guastien-
sis, uir conferendis manibus audacior, in Galli-
cas penetravit acies. Cuius aduentu resumptis
animis nostri in hostem (erat hic Heluetius) re-
deunt. Voces pugnantium Caesaria-
norum exaudiebantur, caedite gladijs, figite ha-
stis, sternite iaculis, haecenus ita praclusum est
futurae pugnae. Iam Borbonius singulari pruden-
tia uir, & bellicis rebus cuilibet fere uetere copia-
randus, ita suos paucis quidem, sed efficacibus uer-
bis hortatus dicitur. Nihil refert uiri fortissimi,
quot peditum, quot equitum milia Gallus ad Pa-
piam adduxerit, quando cum longe maioribus
sopijs saepius ac prospere semper conflixeritis.
Adhibete mo animos alacritatis ac fiduciae ple-
nos, haud enim in limine uestrorum laborum, sed
in exitu statis, Gallorum (ut spero) uictores da-
quum re

HISTORIARVM LIBER 3.

mum reuersuri, si paulum adhuc nisi uolueritis.
 Credite uos ad prædam & gloriam, nõ ad præ-
 lum uocatos. Digni estis qui talibus, quibus abũ-
 dant hostium castra, in patriam onusti redeatis.
 Ad quæ Ducis optimi uerba sequutus ingens mi-
 litum clamor se omnino paratos esse dicentium
 Imperatorem suum per æqua & iniqua sequi, li-
 benter ituros ad unum omnes quo ipsius fortuna
 duceret. Iam & Mingualius aderat Vicerex
 Neapolitanus. Is quoq; militem hortari, ut acri-
 ter pugnaret, sciret illius uictoriam diei, Gallia-
 rum maximas opes in prædam Casarianis datu-
 ram. Hæc ille & alia similia, quæ in tali discrimi-
 mine a facundis Imperatoribus adhiberi solent.
 Ex aduerso stabant instructæ aduersarum par-
 tium acies. Et iam tubis canere incipientibus,
 renouatum est prælium, magnis et insensis utrin-
 q; animis, nec sse militum dissimili. Casarianis
 sua uirtute, hostibus militum copia fretis. Mar-
 chio Piscaria Casarianus, ante suorum nunc o-
 ra ferri, nunc hostem inuadere, peditem immitte-
 re, hortari uoce, manibus significare socium ad-
 esse se periculorum omnium atq; adiutorem. Vi-

HADRIANI BARLANDI

disses hic Borbonium feriētem, cædentem, in ho-
 stem incurrentem, uulneratos ex acie subduci in-
 bentem, integros submittentem. Multi utrinque
 uulnerabantur equi & uiri, pediti pedes, equiti
 eques, singuli pene singulis aut ense aut hasta
 sibi aduersi pugnabant. Rex Galliarum uir
 militari disciplina, tum corporis, tum animi ui-
 ribus æque clarus, & ipse fortiter dimicans, uni-
 us uexilliferum legionis Germanicæ, an Hi-
 spanicæ incertum est, sua manu confodit. Horâ
 fere unam dubius fuit, & anceps pugne euen-
 tus, quum repente suorum casu pedites Galli cõ-
 sternati, primū loco cedere, mox terga simul uer-
 tere cœperunt. In prælio trucidati a Germano
 milite Sueni prope omnes, & qui pro Gallo ste-
 terant Itali. Ex Heluetijs mille quingenti. Du-
 ces quoque Francorum exercituum præstantis-
 mi. In quibus clarissimus præfectus una cum
 filio, Dux Monfortius, Princeps Tremolius,
 Busius, Chiamonius, Bubausius. Iacebant humi
 passim, equis effusi nobiles pariter et ignobiles.
 Quidam adhuc palpitantes, alij ut suo uestitu
 obriguerant, aut ensē, aut parmam tenen-
tes.

HISTORIARVM LIBER 3.

tes. Crudelis ubique luctus, ubique pavor,
 & plurima mortis imago. Stabat iam Rex
 Galliarum undiq; telis expositus, quum suis hor-
 tantibus, ut re iam inclinata e praelio excederet.
 Non faciam, inquit, hic extinguere pulchrum
 mihi & laudabile existimo. Ea sum stirpe, ijs
 maioribus ortus, ut non tam longam uitam,
 quam nominis eternitatem optare debeam.
 Hæc ita loquutus, cum suis iam ad salutem ma-
 gis, quam in spem uictoriæ aduersus hostem di-
 micat. Verum ubi extrema acies a Cæsarianis
 est equitibus circumuenta, & a fronte alij urge-
 bant infestius, Rex Franciscus uiribus, auxilioq;
 destitutus, capitur, & cum eo Rex Navarra,
 alijq; plurimi nobiles uiri, Pontificis Romani
 legatus, Princeps Mamorasius, Florèges, Lescu,
 Bonaualle, Durantius, Bosula, Brion, Valmon-
 tius, Obeguinus, Santememius, Camestiensis,
 Lorges, Naures, Riuis. Ex militibus gre-
 garijs, qui profligata acie effugere sunt co-
 nati, multos cum totis armis in Ticinum desili-
 entes, rapidus amnis absorpsit. Alij ab oc-
 cursantibus media platicie equitibus interfe-

HADRIANI BARLANDI

Et, capti sunt alij. Horum tanta multitudo, ut ca-
pientium numerum uicerint. Quos omnes postea
armis exutos, Borbonius incolumes dimisit. Cae-
sorum in praelio numerum, quidam ad septem,
alij ad x milia redigunt. Nec tamē incruēta haec
stetit uictoria Caesari, in cuius exercitu praeter
insignes aliquot Duces octingenti fere desydera-
ti. Alenconius princeps Gallicae partium, uidēs
suorū stragē, quadringētis cū eqtibus ex hostiū
manibus elapsus, Galliā uersus q̄ maxime citato
cursu cōtendit. Hanc uictoriā cū qua nullius unq̄
ueterū impatorū, nec laureas, nec auratos currus,
posse comparari existimo, Caesariani nocte qua
diē Mathiae Apl'o sacrū praecessit adepti, cum
praeda, captiuisq; regibus, ac tota fere galliae re-
gni nobilitate, Papiā ouātes repetūt, magna cui-
usq; lētitia et gratulatiū acclamatiōibus, ur-
bem lōga iam obsidiōe liberatam ingressi. Hic se
unq̄ alias, nihil omnino esse res hominū cernere
licuit, quū Rex paulo ante copijs egregie ad bel-
li usus, tū armis, tū exercitiū ductoribus, ac bel-
landi peritia instructissimus, repēte omnibus, et
copijs, et armis exuius in potestate hostiū uenit.

Hadrianus Barlandus Hadriano Blehemio
Equiti Aurato, & insignis oppidi
Louaniensis Praefecto
uigilantissimo,
S. P. D.

Magnam esse humanarum rerum incon-
stantiam Praefecte uigilantissime, tri-
stes regnorum exitus, euersaq; fundi-
tus imperia demonstrant. Magnum fuit &
diuturnum Assyriorum imperium, durauit enim
annos mille ducentos & triginta nouem, occidit
tamen nihilominus. Stetit Medorum regnum
annis trecentis minus octo, sed & hoc concidi-
disse uidemus. Sic Persae, Macedones, sic in
Graecia Athenienses, Lacedaemonij, Thebani
imperare, rerum summa potiri desierunt. Ceci-
dit Ilium, dixit ille, & ingens gloria Teucro-
rū, Cecidit Carthago Romani aemula Imperij.
Nec Roma quae triplici bello uictam Cartha-
ginem deleuit, in suo statu permansit. Nam
haec ceterarum uictricem gentium, Gothus
R 4 uicit,

HADRIANI BARLANDI

iicit, diripuit, incendit, multitudinem omnem
 per Latij & Campaniæ oppida dispersit. Atque
 inde, ut omni humano cultu deserta urbis for-
 tuna, ita & imperium inclinavit. Omnibus una
 fuit cadendi necessitas, quia hominum essent, quo-
 rum nihil est in terris perpetuum, nihil non in-
 teritui obnoxium. Cæterum ne imperij no-
 men profus ex Italia tolleretur, non sine
 numine diuum, non sine cæli providentia con-
 tigisse, videtur mihi, ut post incensam, exci-
 samque a Gothis urbem Romam, continuo di-
 versa Italiæ parte Venetiæ conderentur, ubi
 Imperij nomen diutius locum haberet. De
 huius stupendæ ac toto orbe terrarum nomina-
 tissimæ urbis Ducibus, ac Præfectis, quum his
 diebus librum unum confecissem, non mihi vi-
 sus sum ulli congruentius eum dedicaturus, quam
 tibi, qui a Cæsarea maiestate huic urbi multis
 dotibus eximie florenti præfectus, & opti-
 me munus tibi commissum administras, & le-
 gitimis persunctus negotijs, libenter insigni-
 pan si

DE DVCIBVS VENET. lib.

om uirorum res gestas legis, quæ studia nimirum
humanae sunt uera solatia uitæ, quæ uita dum cõ
tinuo fluctu uexata laborum fertur, ad hunc
fessam recipit se prouida portum. Suscepti
in hac historia scribenda laboris non me pœnite
bit, si tua dignitas hoc munusculum sibi dicatum
gratū esse testabitur. Dominus Iesus te seruet
incolumem, semperq; in maius ac melius p
uehat. Vale Louanij quarto

Cal. Maias, Anno re
dempti orbis

M. D. XXXII.

HADRIA

NI BARLANDI DE

Ducibus Venetorum

liber.

Paulutius Heraclianus,

Venetorum Dux primus.

VENETORVM Dux primus, cō-

V muni omnium cōsensu declaratus
est Paulutius Heraclianus inclytus
uir iusticie. Incidit eius creatio in annū ab urbe
condita octogesimū secundū, ac ducentesimum,
ut alij, septimum ac nonagesimū supra ducentesi-
mū, ut itē alij, septuagesimū sextū. Tradidit no-
uo Duci insignia quædā populus, qbus amplissi-
mam dignitatem ornandam putavit. His ita re-
ceptis Dux, ut rempublicam bello, cui tum erat
implicata, leuaret, cum longobardis pacem fe-
cit. Obijt Paulutius annis uiginti & mensibus
sex in principatu exactis.

Marcellus Heraclianus Dux secundus.

In demortui locū sufficitur Marcellus Heraclia-
nus, cuius Ducatus 9. habuit an. Hic nihil gessit
dignum

DE DUCIBVS VENET. lib.

dignū memoria, fuit mira alioq uir pbitate, amice
noq; ingenio, nec omnino a rebus bellicis abhor-
renti. Mortuo Marcello Horleus Vrsus ē Dux
creatus. Huius t pibus Longobardi Rauennā ur-
bē uetustissimā armis oppresserūt. Vrsō a suis po-
pularibus, qā belli quo premebātur fuisset autor
fode trucidato, regiminis mutata forma, et prin-
cipis loco nouus magistratus inductus est, Magi-
strū militū dixerūt. Sub militari Magistro nōdū
cētō quinquennio, cū Ducis magno desyderio te-
neretur populus, ducaria administratiōe in urbē
reducta, Vrsi filius Theodatus princeps declara-
tur, quē xiii. administrationis anno insidijs exce-
ptū, atq; excæcatū Galla qdā principatu deiecit.
Sed quæsitū scelere, imperiū nō diu tenuit, nā et
ipse priuatus oculis, an. regiminis ii. in exiliū est

Dux 3.

Dux 4.

Dux 5.

Dominicus Monegarius Dux vi. (actus.
Huic ob ferox ingenium annuos Tribunos dedit
populus cum quibus præffet. Verebantur enim
hominis temeritate magnum aliquod incommo-
dum accepturam rempublicam, nisi in consultati-
onibus adfuissent, per quos illius præceptis cohi-
beretur ingenium. Sed ne hoc quidem modo
reipū

HADRIANI BARLANDE

reipublicæ prospectum est. In omne scelus mox
prava erumpente natura. Tum uero ciues no-
uæ tyrannidis impatientes, luminibus priuatum,
quinto principatus anno summo magistratu abi-
re coegerunt.

Mauritius Heracliensis Dux vii.

Vir ingenio & uita clarus, quum ex optima ad-
ministratione ingentem populi fauorem sibi con-
ciliasset, frequenti conuentu, impetrauit quod ad
id tempus præcessorum nemo, ut Ioannem fili-
um sibi in regimine socium assumeret.

Dux 8.

Obelerius ix. Dux.

Hic quoq; ingenti fauore ciuium, recte factis
collecto, Beatum fratrem sibi in principatu col-
legam cooprauit.

Angelus Particiatius x. Dux.

Sequitur Angelus particiatius traditur omnium
primus Ducarium in Riualto throna habuisse.
Sunt & huic dati Tribuni, cum quibus decer-
neret. Inter publica sue administrationis ope-
ra Heracleam instaurauit, quæ post recentio-
rem illam ædificationem, noua ciuitas est appel-
lata. Iustinianum filium, & Angelum ex eo
nepa

DE DUCIBVS VENET. lib.

nepotem collegas sibi in Ducatu ascivit. Huic Particiatio Christi regis nostri, diuæ etiam uirginis uestium partes, & cum his Dominicæ crucis lignum Leo Imperator dono misit.

Iustinianus.

undecimus Dux.

Post mortem patris, Iustinianus Remp. solus administrare cepit. Autor fuit, ut Veneti classem contra Saracenos mitterent, qui per ea tempora Europæ insulas in primis Siciliam multum infestabant. Iustiniano rempublicam gubernante, diui Marci corpus ex Aegypto Venetias surto est translaturum, quod ipse statim domesticum intulit sacello. Iamq; factus haud parui numinis hospes, non multo post e uiuis excessit, cum fere biennium præsuisset. Testamento mandauit, ut sui amplius & augustius diuo Marco templum erigendum curarent.

Ioannes Badoarius xii Dux.

Iustiniano fratri succedit Ioannes, q Reip. administratione a diuis orsus, templum exiruxit duca-ria sedi propinquum, in qd iã rite consecratum Euangelistæ corpus ex minori sacello transfudit.

Idem

MADRIANI BARLANDI

Idem ob graues simultates, quas cum Mastaliâ familia, quæ tum erat Venetijs nobilissima, exerceuit ab aduersæ factionis hominibus ante eadē Apostolorum principis, quo sacrorum gratia uenerat, insidijs exceptus, principatus insignibus exuitur, exutus barbâq; & capillos deorsus in Gradū insulam relegatur, ubi sacris initijs uita decessit, anno q̄ præesse ceperat octauo.

Petrus Tradonicus tertius decimus Dux. Tradonicus Pola, quod in Italiæ finibus uetus oppidum est, oriundus Ioannem filium sibi collegam accepit. Paulo gentium doctori templum magno, ut tum erant ciuitatis opes, sumptu extruxit. Narentanis p̄xima maria infestantibus bellum intulit, sed parum feliciter. Missus ab eo filius contra piratas, patre fortius depugnauit. Sum et in Mauros Saracenos triremes sexaginta Tradonici studio instructæ, qui anno regiminis suâ undetricesimo quū die quodā ex sacra æde domū rediret pluriū cōiuratione exceptus occiditur.

Vrsus Dux xiiii.

Hic rempublicam domi forisq; feliciter administrauit, Mauros in Dalmatiam progressos subi-

DE DVCIBVS VENET. lib.

to appulsu turbavit, atq; abire coegit. Ioannes principis filius iuuenis impiger, in ea expeditione, adeo strenuam operam nauauit, adeo in hostem fortiter eo die depugnauit, ut iussu populè datus sit patri collega in principatu. Vrsus Basilii Imperator Protospatarium creauit, què tum primarius erat honor apud Græciæ Imperatores. Vrsus Gratiudine cum Basilio certare cupiens, duodecim campanas magni ponderis illi Constantinopolim dono misit. Ita Veneti Ducis munere & liberalitate, Græci tunc primum æscampanum habere cœperunt. Vrsus mortè obiit, quum in principatu egisset annos septendecim.

Ioannes Badoarius xv. Dux.

Vrsi filius Ioannes surrogatus Cornelio & Cypriano diuis phanum condidit, quod temporis interiectu alius princeps in monasterium uirginum uertisse traditur. Inuenio hunc Ioannem quum per aduersam ualitudinem reipublicæ præesse non posset, fecisse populo potestatem noui Ducis creandi, quo factò ipse in ordinem se redegit. inito quidem, sed nondum exacto regiminis anno sexto.

Petrus

HADRIANI BARLANDI

Petrus Candianus Dux xvi.

Petrus Candianus initio ducatus sui longas aliquot naues misit ad comprimendos cursus Narentanorum, qui Venetæ rei publicæ ueteres hostes proxima maria latrocinijs infestabant. Hic nihil gestum est, hoste nusquam reperto. Non longo interiecto tempore idem Candianus alias naues in eosdem hostes eduxit, quos repertos circa Dalmatiæ promontorium Miculum, maioribus prope animis, quam uiribus adorti Veneti, primo quidem congressu superiores, eorum naues aliquot oppresserunt. Verum Narentani multitudine præstantes quam ducariam nauem, reliquasq; circumuenissent, uictoriam adepti sunt. Dux Candianus in pugna cecidit, mensis ducatus quinto. Occisi corpus hostibus substractum, paulo post Gradum deportatur, atq; ibi loci sepelitur.

Petrus cognomēto Tribunus Dux xvii.

Petrus cognomēto Tribunus post occisū in prælionauali Cādianū, maximo populi fauore et cōfessu Dux creatus a Castelli Riualo usq; ad Iubancam ædem uirginis, murum extruxit, ut urbem

DE DVCIBVS VENET. lib.

muniret aduersus piratas, perpetuos hostes loca
Venetiis proxima infestantes. Huius principa-
li Hunni gens Scythica tumultuose in Italiam
erumpentes, quum una atque altera pugna ui-
ctores fuissent, successu elati ferro igniq; omnia
vastauerunt, ac repente omni bellica ui in Ven-
tos cōuersa ab h̄isdem circa Albiolam uicti sunt.
Quo prospero & secundo praelio ingens Ven-
to nomini parata gloria, quum illud in ore omniū
esset, fregisse Venetos Hunnicā rabiem. Dux
Tribunus diem suum obiit, quū undeuiginti, ut
alij scribūt, tres & uiginti annos domi forisq;
republicam felicissime administrasset.

Vrsus Badoarius,

Dux xviii.

In demortui locum Tribuni Vrsus Badoa-
rium suffecit populus, uirum mira probitate &
innocentia præditum. Hic quum annos nouen-
decim multa cum laude rempublicam Veneto-
rum administrasset, sponte magistratu abiit,
uitamque secutus monasticam in sancti Felicis
Amiani cœnobio cœlestium rerum contemplat̄
oni intentus, uitæ reliquum transmisit.

S Petrus

HADRIANI BARLANDI

Petrus Candianus siue Sanutus,

xix. Dux.

Vrsi voluntariam abdicatiōem sequutus est principatus Petri Sanuti, qui Petri illius Dalmatico bello interfecti filius, iccirco et ipse Candianus est dictus. Hic princeps in Histros mouisse, atq; eos prælio fuisse traditur, ob raptas uirgines. Celebrabāt eæ nuptias in æde diui Petri Venetijs. Histri Venetorum hostes urbem ingressi, repente impetu facto in puellas cum dotibus & reliquo apparatu omnes abduxerūt, quibus postea Candiani ductu recuperatis in inçlytæ memoriæ Mariarū sunt nuncupati. Candianus altero Ducatus anno decessit, alij septenniū huic tribuūt.

Petrus Badoarius xx. Dux.

In huius Petri tempora uictoriam cōtra Histros in Crapulanis paludibus, & raptarum uirginū recuperationem referūt quidam scriptores. Præter id nihil de eo inuenio. Præfuit biennium, alij unum adijciunt annum.

Candianus Dux xxi.

Badoarius successorem habuit Candianum, quo

princi

DE DVCIBVS VENET. lib. 7.

principe in Narētanos pximo mari grassantes iterum educta classis, ad cuius famam hostis terrius non modo congredi non est ausus, sed missa legatione etiam pacem petijt, quam his conditionibus dedit Venetus, ut damna illata Narentanibus æstimatione persoluerent. Sunt qui tradant, re infecta, ut non raro alias, classem unde uenerat reductam esse. A Dominico Oliuolensi antistite Regis regum præcursoris in terris reliquæ quædam rite conditæ sunt in templo quod ipseus maiores construxerant ea urbis parte, quæ Embragola dicitur. Candianus quum tres haberet filios, medium cui Petro nomen, sibi collegam assumpsit. Huic optimi patris consilia aspernant, & facinorosos ad apertam seditionem in ciuitate mouendam sollicitanti, populus abrogauit imperium, & exilium indixit. Atq; ita iudicatus hostis, hostiliter Venetos infectatus naues eorum circa Rauennæ littus oppressit. Quo filij in patriam scelere audito pater ita cõturbatus dicitur, ut paucis diebus mœtore uitam finierit.

Petrus Candianus xxii. Dux.

Hic uide lenia semper uulgi studia. Patre mor-

FORMVLA TESTAMENTI

tuo filium, quem antea hostem & exulem decla-
 rauerat, reuocatum ducem constituit. Qui super-
 biae ac minarum plenus quum formidabilis mal-
 let q̄ iucundus uideri ciuibus, pro legitimo prin-
 cipatu manifestā pene cepit exercere tyrānidē.
 Ducariū praesidio firmavit, nihil dixit, aut fecit,
 qđ nō idē superbissimi esse tyranni uideretur.
 Quum talis esset, ciues libertatis suae non imme-
 mores repēte in publicas aedes facto impetu, mul-
 tis eū uulneribus conficiūt. In gulatus cū eoin ma-
 tricis gremio filius paruulus. Amboꝝ corpora
 ad macellū pietata, populus iussit canibus lanian-
 da relinqui, sed postea rogau. Ioannis Gradoni-
 citā fœdo. spectaculo multitudinis infensae ocu-
 lis subtracto, e publico deportata cadauera, in tē-
 plo. diu. Hilarij honorifice sepeliuit. Hic Petrus
 annos. praesuerat septemdecim. et uirginem
 Successit Petrus Vrseolus Dux xxxiii. uicid. affod
 lōge diuersus. Cū Saracenis Italiū bipartito in-
 gressis maritimo prelio conflixit, quibus suis,
 fugatisque, ac magna ex parte caesis, magnam
 ea uictoria Veneto nomini gloriam reportauit.
 Filius

DE DVCIBVS VENET. lib.

Filius huic ex Felicia uxore unicus fuit, quo nato et Ducem ipsum et uxore ppetuā nouisse deo castitatem inuenio, atq; interim ea innocentia rempublicam ab eo administratam, ut ex ijs quæ faceret, uideretur suscepisse principatum nō iam ut præesset, quam ut reipublicæ prodesset, atque eam in statum meliorem redigeret. Quod haud dubie præstitisset uiri probitas, nisi nōuo quodam exemplo se magistratu abdicasset. Venetias peregre applicuit Guarinus quispiam ex gēte Aquitanica, & monachus qui ad Vrseolum deductus, humaniterq; ab optimo duce exceptus multa hic de religione, & pœnitentia locutus, principis iā ante sua sponte diuinis rebus dediti animum ita mouit, eoq; sensum perduxit, ut de principatu reddendo cogitare cœperit. Ad id faciendum Vrseolus non plus sibi moræ, ac temporis poposcit, quam quoad urbis statum pacatiorem fecisset. Dimissum itaque monasticæ uitæ professorem illum intra annum iussit ad se recurrere. Interim ad opera pietatis conuersus ipse pauperum inopiæ subleuandæ studuit, collegia, clerum, religionem omnem

HADRIANI BARLANDI

incredibili charitate protexit ac fouit. Per hæc
opa circumactis mensibus noctu (iã enim Gua-
rinus ad constitutũ tẽpus recurrerat.) ignoto ha-
bitu clã uxore, clã liberis, clã amicis omnibus, ur-
be egressus peregre abiit, eumq; ducatu ac patria
solo excedentem quatuor alij insignes pietate ui-
ri, eius consilij conscij sequuti sunt. Procedente
uero tempore Vrseolus, ita religione & sancti-
tate profecit, ut post obitum in Aquitania, ubi
reliquos egit uitæ annos, multis claruerit mira-
culis. Ita optimi principis administratione altera
eius creatiois anno, priuati Veneti magno quide
mcerore, maiore tamen desyderio affecti sunt.

Vitalis Candianus, Dux xxiiii.

Vitalis Petri Candiani tertij filius Dux factus,
Vitalẽ patriarchã Gradẽsem populi metu in exi-
lio ad id tps agẽtẽ reuocandũ curauit. Huic unius
regiminis exierat annus cũ grauissimo correptus
ẽ morbo, quo indies magis magisq; inualescẽte ra-
tus fatũ sibi imminere, magistratu sese abdicauit,
et post aliquot dies uita decedens ad diui Hilarij
sepelitur. Tribunus Meuius, Dux xxv.
Post Candiani obitum, Tribunus Meuius Duca
sũ sus-

DE DVCIBVS VENET. lib.

tū suscepit uir multū solers, sed uerboꝝ paucorū.
Pax feliciter ab eo Resp. administrata ē. Nā et
sui eū ciues nō semel atroci cōiuratiōe petiuerūt.
Et Maurocenis Caloprinisq; cū primis illustri-
bus familijs maioribus odijs q̄ uiribus inte se cer-
tātibꝫ fœdissimæ intra urbē cædes cōmissæ sūt.
Deposuit et hic principatū, quū rebus præfuisset
annos quatuordecim, uec ita diu postea uixit.

Petrus Vrseolus Dux xxvi.

Surrogatus illi a populo Petrus Vrseolus rē Ve-
netā nō solū domi, sed foris etiā mixe in modū au-
xit. A Basilio et Alexio Græciæ Imperatoribus
obtinuit, ut toto eorū impio immunes a uectigali-
bus essent Veneti negotiatores. Parata classe, mi-
litibusq; in naues impositis sub uernū anni tps in
Dalmatiā mouit. Victis hic Narētanis lege s de-
dit, atq; ita purgato latrocinij mari, uictorē exer-
citū Venetias reduxit. Ducariū et tēplū a Petro
Vrseolo, q̄ cæso Cădiano successit, instaurari cœ-
pta, magno studio absoluit. Bona sua bifariā par-
titus, unā partē eāq; meliorē liberis suis dedit, al-
terā pauperibus alēdis et sacris ædibus reparādis
impedit. Mortuus est anno regiminis sui xviii.

Corpus eius in cœsta ciuitas amplo funere elatū cō
didit in atrio Zachariæ. Otho Dux xxvii.

Patri filius Otho suffectus, alta indole iuuenis
multa cū laude Remp. administravit. Hac fama
impulsus rex Pannoniæ uxore dedit illi filiā suā.
Per hæc ipa prælio uicti sunt & Venetis Hadriæ
Jes. Otho maritima omni Dalmatiæ, Tiburniæ,
et Histriæ ora lustrata (quæ patris eius ductu in
Venetoz. fidē uenerat) cives iureiurando adegit,
ut in Venetiæ gētis fide manerēt. Ex Dalmatia
reuersus, a cōiuratis capiunt, captus in Graciā re
legatur, ubi nō multo post obiit, cū Reip. præfuis
set annos v. Petrus Centranicus Dux xxviii.

Hūc quoq. captū, populus abrasa prius barba,
et inducto insup. habitu monastico in exiliū e
git.

Dominicus Flabanicus Dux xxix.
Flabanico Remp. administrate subleuus ē mos co
optādi in principatu collegæ. Fuit hic princeps
annos x.

Dominicus Cōtarenus Dux xxx.
Cōtarenus ingēti nauū ui in Dalmatiā pfectus
Iaderensiu, q. antea in Venetoz. fidē uenerat, et
iā ad Croaciorū regulū, uel ut alij tradūt, Pāno
niæ regē defecerat, urbē obsedit, obseſsam expu
gnauit, que expugnatio cæteras urbes in fide
cōtinuauit

cōtinuit. Dominicus hic Cōteranus humanae ne-
cessitati cōcessit sexto et xx. sui Ducatus anno.

Dominicus Syluius Dux xxxi.

Hic Syluius Græci fastus ac supbiæ plenā uxore
habuit. Constantinopolitana fuit, cōi aqua ad se
lauandā nūq̄ utebatur, cibaria digitis nō attinge-
bat, sed aureis furculis apprehēsa ori admouebat.
Tāta flagrabat odore uarietate cubiculū eius, ut
nimia suauitas ingrediētū sensus pene obrueret.
Syluij huius ductu Veneti a Normānis ad Dyr-
rhachiū ingēri p̄ alio uicti sunt. Adeo insignis
hic accepta clades, ut ex tot nauibus eo p̄ Syluiū
ductis, quū alij medijs aquis interfecti, alij capti
essent, paucissimi euaserint. Ingēs hac re parta ē
principi inuidia. Venetias reuersū populus publi-
ca administratiōe priuauit an. Ducatus eius xiiii.

Phalerius Dux xxxii.

Huius principatu ex Alexij imperatoris Cōstā-
tinopolitāi cōcessiōe Veneti Dalmatiā, Croaciā
q; latronū manibus extortas legitimo posside-
re cœperūt imperio. Harū puinciarū primus dux
inscriptus ē Phalerius. Hēricus Italiae imperator
Venetias uenit Marci Euāgelistæ sacriariū uisu-
rus, Lauretus uicus uetustate collapsus Phale-
rij cura et studio reparatus atq; in parui oppidi

HADRIANI BARLANDI

speciem redactus est. Præfuit hic princeps annis
duodecim ut quidam scribunt, ut alij tredecim.

Vitalis Michael, Dux xxxiii.

Auspicijs huius Ducis numerosissima classis ad
urbes & loca terræ sanctæ recuperanda in Sy-
riam missa est bello quod ductores habuit Got-
thofredum & Balduinum Bolonios. Insignes ij
uiri in Asiam, ingentibus copijs transmissis Ni-
ceam, Iconium, Heracleam, Antiochiam ac plæ-
rag; alia oppida fidei hostibus ademerunt. De-
niq; sanctam urbem Hierosolymam receperunt.
Per idem tempus a Venetis Ascolon urbs mari-
tima, Cephass & Tyberias oppida capta sunt.
Vitalis uita decessit anno sui Ducatus quarto.

Ordephalus Taledrus Dux xxxiiii.

Ordephali principatus anno primo, aut certe al-
tero numerosam rursus classem Veneti in Syriam
miserunt. Centum fuisse naues traduntur. Baldu-
inus post fratris Gothofredi obitum, terræ san-
ctæ Rex salutatus, per id tempus Ptolemaidem
urbem maritimam oppugnabat, quam maritimis
Venetorum copijs auctus intra uicesimum diem
cepit. Inde ad Sidonem classis eadem, & terre-

DE DVCIBVS VENET. lib.

stres copiae admotae sunt, oppidumq; non sine cae-
de ingenti captum est, capta & Tarania urbs lit-
toralis, & multae hostium naues quae mare infe-
stabant, a Venetis oppressae sunt, ob quae magni-
fice gesta Balduinus toto Hierosolymitano re-
gno plurima concessit, tribuitq; Veneto priuile-
gia. In Ordephali tempora Dalmatiae ad Pan-
noniae Regem defectio incidit, ad quam recupe-
randam, Dux ipse cum exercitu eo profectus,
hostem tota Dalmatia cedere coegit. Post paca-
tam prouinciam Venetias reuerso Duce, non diu
quieta fuit regionis status. Nouae enim co-
piae ex Pannonia irruerunt. Quo accepto
nuntio Ordephalus haud cessandum ratus, aliquam
to ualentiorem classem quam antea in Dalmatiam tra-
sportat, ubi cum hoste fortiter pugnas telo ictus
concidit, anno Ducatus xix. Corpus eius Vene-
tias deportatum in diui Marci aede, magnifico
exequiarum apparatu conditum est. Hic honor
ei debebatur qui pro patria dimicans fortiter
occubuerat.

Dominicus Michael Dux xxxv.
Post mortem Ordephali traditae sunt rerum Ha-
bene

HADRIANI BARLANDI

bene Dominico Michaeli qui Galisto Pontifi-
 ce autore in Syriam, cum classe transiit, ubi o-
 pibus hostiū fidei magis magisque indies inuale-
 scētibus apparebat recepta sacro bello Syriæ loca
 sine nouis auxilijs defendi amplius nō posse. Huc
 quū uenisset ante Iopensem portū in hostē fero-
 citer mouit, impetu repēte facto Barbaros ador-
 tus, obsidionē soluere prius coegit q̄ naues illi sa-
 as explicare possent. Multi hic cæsi, multi capti,
 & tota est hostium disiecta classis. Secundū hæc
 uictoriam Michael Hierosolymā uenit, ubi beni-
 gne eum duces exceperunt, gratulantes quod in
 columi classe, & hoste fuso in tellurem sanctam
 uenisset. Hic quum aliquandiu inter se Duces col-
 loquuti fuissent de ratione gerēdi belli, nec satis cō-
 ueniret inter eos, ad quā potissimū urbē oppugnā-
 dā ducerētur exercitus. Venetiæ Dux Michael
 consuluit, ut ad diuinas sortes recurrerēt, atq; ita
 sorte cōstitit. Tyro in primis admonēdas esse co-
 pias. Sortitiōis genustale fuit, uti nomina oppu-
 gnādarū urbiū in pximā arā cōiecta rudis q̄ p̄iā
 puerulus manu misceret, inde diuinis rebus rite
 p̄actis, puer idē unā ex schedulis, quæ singula
 singula

DE DVCIBVS VENET. lib.

ſingularū urbiū nomina cōtinebant ad principes
deſerret. Hic autē accidit, ut puer chartam educe
ret quæ Tyri nomē habebat. Placuit igitur a Ty
ria oppugnatione bellū inchoare. Miſſus eo Ve
netus terra mariq; urbē ita preſſit, ut ceditiōnē
tādē fecerint ciues. Vrbe capta, in turribus aliſq;
locis eminentioribus præfixa ſunt Venetæ ſi
gna, quorum opa in eius obſidione urbis maxi
me enituerat. Michael relictā Syriā omnē oram
maritimā in Dalmatiam uſq; partim demuit, par
tim ab iniuria hoſtiū uindicauit. Venetias reuer
ſum, ob rem bene geſtam magnificentiſſimis uer
bis laudauerunt omnes ciuitatis ordines. Naturæ
conceſſit adminiſtrationis anno undecimo.

Petrus Polanus Dux xxxvi.

Huius principatu diſcordias inter Venetos, Piſa
noſq; ſubortas Romanus Pont. ſuſtulit, ſed nō ni
ſi poſt multas uariāſq; clades uliro citreq; ꝑ ec
caſiōem illatas & acceptas. Cū Patavinis quoq;
pugnātū ē ob ſciſſionē fluminis. Victor Venetus
ad trecentos quinquaginta ex uictis captiuos Ve
netias adduxit, quos omnis poſtea gratis ad u
num reddidit quum intellexiſſet culpā ſciſſi flu
minis

HADRIANI BARLANDI

minis non penes nobiles, sed plebeios quosdam temerarios fuisse. Præfuit annos nouendecim.

Dominicus Maurocenus Dux xxxvii.

Huius temporibus inuenio iacta fundamenta turris quæ Venetijs e regione fori uisitur, fastigiū habens ex auro purissimo. Hæc turris in tantam assurgit altitudinem, ut ad ortum & meridiem longissime in mediterraneum mare prospectum aperiat. In idem tempus incidit conditio Phari uirginis (Crucigeri habent) Gausonia familia priuato sumptu extruxit. Desijt in humanis esse Maurocenus quum annos octo rebus præfuisset. Ad Phantum crucis est conditus.

Vitalis Michael Dux xxxviii.

Per Vitalem hunc Michaellem secundum, Pisani sublata prorsus ueteri æmulatione ad Veneti no-
minis amicitiam retracti sunt. Idem cum ualida classe missus in Græciam contra Emanuelem Imperatorem qui uno tempore negotiatores Venetos tota Græcia oppresserat, ubi secunda nauigatione in Eubream delatus esset, seq; ad urbem oppugnationem expediret, insulæ præfatus tam numerosæ classis appulsu territus, auo-
cens

DE DVCIBVS VENET. lib.

certe Emanuelis consiliorum haud ignarus, ne nimis potentem hostem aliqua mora ludificaretur, suavit, ut de pace legatos ad Imperatorem mitteret, se certo scire illum, uel iniquissimam partem bello praelaturum. Missa est legatio. Interim Dux Chium insulam totam armis subegit. Et quia iam hyems instabat, hic manere statuit, & missos ad Emanuelem legatos expectare, Emanuel callido uir ingenio, & ad dolum procliu, quum quaedam peteret, alia negaret, nunc legatorum postulata probaret, consilio opus esse diceret, atq; ita rem de industria traheret, legati re infecta reuersi sunt. Ingens tum pestilentia repente orta, paucis diebus ingentem uim hominum absumpsit. Quidam in literas miserunt fontes proximos & flumina, unde Venetus miles aquam petebat, Emanuelis iussu ueneno infecta fuisse, atq; ex ipso aquarum potu Venetos morbo correptos. Dux hac clade suorum uehementer affectus, quum uideret atrocius indies sentire malum, et iam uulgo milites, sociosq; nauales cadere, ineunte uere classem Venetias reduxit. Classe reducta pestis repente totam urbem ita

HADRIANI BARLANDI

torripuit ut intra dies per paucos multa hominum
 milia consumpta dicantur, tum audire civium que
 re late, cladis acceptæ culpam in Ducem conferen-
 tium, eum patriæ suorumq; civium proditorem
 uocantium. Qui dum obsequi studet, Veneti no-
 minis infestissimo hosti insignis victoria occasu
 onē turpiter e manibus emisisset, & quum pur-
 gare se uolenti populus ad concionem uocatus
 amaris criminationibus obstreperet, iamq; uitæ
 periculum imminere uideretur, ipse clam ex du-
 caria domo dilapsus est, uerum nec sic quidem
 euadere potuit, nam multitudini cedens, quum
 iter solus ingredi cœpisset, ab obuiis quopiam uul-
 nus accepit grauissimum, ex quo mors sequuta est,
 anno principatus eius decimo septimo.

Sebastianus Cianus Dux. xxxix.
 Cianum Ducem declaratum populus miro con-
 sensu probauit. Huius principatu artifex quispiam
 ex Cisalpina Gallia geminas ante forū colūnas
 mira arte erexit. Opere peracto iussus a princi-
 pe, & populo petere quod uellet, nihil aliud pro
 mercede postulauit, q̄ ut aleæ lusoribus in ipso
 intercolumnio uel dolo malo ludere impune lice-
 ret. LXX

DE DVCIBVS VENET. lib.

ret. Laudarem opificē illum, nisi tā turpi ordini
consultum uoluisset, quē nisi summopere probas-
set, nō tanta commendatione esset prosequutus.
Cianus republica bene administrata, quum iam
ad multam senectutem peruenisset, fato uita de-
cessit, anno ducatus octauo, sunt qui unum de-
trahant. Fama tenet a Ciano piam rumorum
distribucionem primo institutam, qua diui Mar-
ci procuratores orphanos, ac pauperrimum quem
q; publico aere subleuarent.

Aureus Mastropetrus Dux. xl.

Aureus acceptis summi magistratus insignibus
cōtinuo Pisanos ab Anconitanorū societate aliena
uit, nā horū adiuti uiribus Anconitani mare supe-
rum, qua Veneti in Græciam, et circumiectas
insulas quæstus gratia nauigabāt, aliquādiu infe-
stauerant. Ad postremū uero redditis hinc inde
ablatis rebus induciæ in decenniū pactæ sunt.
Hoc principe a Christianis noua expeditio su-
scepta ē ad Hierosolymam recuperandam, unde
Saraceni octogesimo octauo anno postq̄ recepe-
rat eam Gotthofredus Bolonius, Saladini ductu
Gallos deturbat. Multos clarosq; Christiani no-
T
minis

HADRIANI BARLANDI

minis duces Romani Pon. hortatu pro recuperanda
 da tellure sancta, legimus tum arma induisse, in
 quibus imperator Fridericus, Philippus Gallia,
 et Richardus Angliæ Reges fuerunt, cum mul-
 tis clarorum antistitum appendicibus. Veneti quo-
 q; per idem tempus ingentem classem decreuerunt.
 Missus & a Pisanis nauium ingens numerus,
 quæ cum Veneta classe prius in Syriam applicu-
 erunt, quam imperatoris copiae in Asiam traie-
 cissent, ubi ille paucissimis quas Christiani amise-
 rant, urbibus receptis, minore Armeniam ingres-
 sus dum abluendi sudoris studio in præaltum flu-
 men temere descēdisset, impetu undarum uictus
 perijt. Nescio an tanti principis miserandus, de-
 flendusq; pijs interitus inchoatum sacrum bellum
 dissoluerit. Venetijs Aureo duce nouus signatus
 ē numus, quē ab autore ipso Aurellum nuncupa-
 uerunt. Tandem Aureus Aurello ciuibus per-
 cussio, monasticam indutus cucullam decessit. In
 annis quibus præfuerit, uariant scriptores rerum
 Venetarum. Quidam nono, alij quarto decimo,
 alij, quod longe diuersum est, octauo & uicesi-
 mo rebus humanis exemplum tradunt.

Henri

DE DUCIBVS VENET. lib.

Henricus Dandulus Dux xli.

Henricus Veronensibus, qui Venetis in Athesi fluuio uim fecerant, Veneto interdixit commercio. Qua denuntiatiōe territi illi, redditus quæ p uim abstulerant, suas Venetis immunitates seruatos se, neq; post illa fluminis unq; navigatione uiolatuos promiserunt. Huius quoq; principatu nouum genus numi, & a Venetis alijsq; principibus Christianis aduersus Turcas, Saracenosq; scodus percussum est. Henricus anno sui principatus tertio decimo decedens, Petrum Cianum Sebastiani ducis filium successorem habuit.

Petrus Cianus Dux xlii.

Huius principatu ab Angelo Phaledro tabula quæ ad aram maximam aureæ ædis ante dicata fuerat, gemmis, atq; alio precioso apparatu amplius instructa ẽ. Mariæ Hierosolymitanæ Phalanum, ubi hodie uirgines clausæ sunt, opus ad huc Cianum refertur. Qui quum annos duos & uiginti Reip. præfuisset, uita functus est.

Iacobus Tepulus Dux xliii.

Hoc Duce forum petitionum institutum est cum tribus iudicibus, qui in eo causas cognoscerent,

HADRIANI BARLANDI

meteres leges et instituta ciuitatis diligēti exami-
natione recognouit senatus. An. ducatus sui uice
sumo circumactō, Tepulus diē clausit extremū.

Marinus Maurocenus Dux xliiii.

Hoc principe Philippus Fontana Rauennas anti-
stes a Pontifice Romano missus legatus Veneti-
as uenit, ubi cœlestis uitæ præmia p̄posuit omni-
bus, qui arma aduersus Ecelium tyrannū, hostem
ecclesie Romanæ iudicatum secum sumpsissent.
Multi mortales ad hoc bellum gerendum ma-
gnis premijs euocati, Venetias cōfluxerunt. Sed
in primis iuuit Venetus, qui præter ingentes co-
pias etiam arma, naues, & commeatus dedit. Ob
tam egregiam hac expeditione nauatam Pontifi-
ci operam Veneto concessum est, ut aureæ ædis
primicerius mitra, & pastorali baculo sacrorum
hōra uteretur. Dux Marinus fato cessit anno
principatus sui quarto.

Rainerius Zenus Dux xlv.

In huius r̄pa grauis domi seditio incidit. Diutur-
ni belli oneribus exhausto urbis ætario, coacti
sunt patres ad naues alendas nouum excogitare
necessital. Quum igitur in multitudine excogita-
tione

DE DUCIBVS VENET. lib.

tum publicari iussissent, tum ciues oneris impatientes cum clamore, & minis in curiam irruerunt. Nouitate rei percussis patribus Dux Rainerius ad primum tumultuantis populi aduentum curia egressus, in medium processit, ut uel Ducaria autoritate strepenti uulgo pudorem inijceret, uel populari aliqua oratione concitatos animos mitigaret. Illi Ducaria maiestate neglecta lapides continuo in Rainerium coniecerunt. Territus ille plebeo cessit furori. Quo e medio abeunte a seditionis autoribus, nobilium domus aliquot sunt direptæ. Sedato demum tumultu apprehensi, qui plebei furoris Ducis publicam maiestatem uiolare fuissent ausi, exquisitissimis supplicijs affecti sunt. Quidam tradunt per hæc tempora uias urbis, ac uicos omnes lateribus stratos, & Pontem qui in Riuoalto uisitur maiore opificio quam prius, maioreque sumptu instauratum esse. Zenus regiminis sui decimo septimo anno e uiuis excessit.

Laurentius Tepulus,

Dux xlii.

Principatu Laurēij q̄ fuit Iacobi Tepuli filius,

T 3 quum

HADRIANI BARLANDI

quum inter duos potētissimos Italiae populos Ge-
nuenses & Venetos atrox bellum esset, Pont.
Rom. Clemens quartus missa legatione, eos ad
inducias hortatus est, si ad pacem animi tam ci-
to inclinari non possent, Viterbium ad Pontificē
iussi uenire legati utriusque populi, post aliquot
menses re infecta abierunt. Per id tempus fa-
me ingenti laboratum est Venetijs, nam infestā
tibus mare Genuensibus, negociatorum nemo in
Siciliam, Apuliamq; unde frumentum peti solet
navigare audebat. Missi Tauricium, Patavium,
Ferrariam, & ad alias uicinas urbes, qui ab illis
frumentū emerent. ab omnibus frumentatio Ve-
netis negata est. Qui ob eam rem uehementer
commoti legem tulerunt, ut qui intra Phanaticū
sinum, & Padi fluminis ostia negociatorum cau-
sa nauigarent, uectigal penderent, ad quod per-
soluendum, & ad mercē ipsam si magistratibus
ita uisum esset, aestimandam Venetias uenirent.
Cui legi ne fraus fieret, nouum magistratum cre-
auerunt. Huic aliquot data nauigia ad omnē orā
maritimam perlustrandam. Scribunt quidam Li-
gustico bello, quod in undecimum annum perdu-
xit.

DE DVCIBVS VENET. lib.

Etum est, finito, ortum esse nouum Veneto a Bononiensibus bellum, qui lege de portorijis lata mare suis negotiatoribus nuper interclusum esse, iniquo animo ferebant. Cum his populis pene trienio circa Padi ostia bellatum est. Tepulus Dux morbo interiit, nondum exacto in regimine sexennio, in æde Gemellorum Venetijs paterno est sepulchro illatus.

Iacobus Contarenius Dux xlvii.

Contareno Remp. administrante, bellum prope est cum Genuensibus renouatum, qui Venetorum nauium unam onustam, omnis generis mercibus oppresserant. Sed ubi compertum est publico id consilio factum non esse, tantum res repetitæ sunt, & redditæ a Ligure. Seditio quam dixi ob molarum uectigal Venetijs ortam, hoc duce prorsus sublata est. Pacatis domi rebus, nouum foris est ortum bellum, Iustinopolitanis a Venetorum imperio deficientibus, sed ij non multo post a Venetis bello uicti, quum uiderent neque suas, neque externas opes sibi prodesse in fidem coacti sunt redire. Ad quos in fide retinendos decreto senatus in puin ciam est missus Rainerius Maurocenus.

HADRIANI BARLANDI

Dux iam senio confectus, & ob annorum multitudinem publicis negotijs obeundis parum idoneus, quum sponte magistratu abiisset, paucis post diebus fatalem obiit diem. Eius funus frequenti civium concursu ad ædem Minorum elatum est.

Ioannes Dandulus Dux xlviii.

Contareno Ducatu abeunti Ioannem Dandulũ absentem populus suffecerit. Huius principatu mare ita urbem inundasse traditur, ut res pene in prodigium sit uersa. Non multo post alluvionem illam urbs uehementi motu terræ est concussa. In Syria Babyloniorum rex Tripolim urbem clarissimam, inde eodem successu Tyrum, Sidonem, Barythum cepit, captas diripuit, direptas flammis absumpsit. Dandulus mortur præfecturæ suæ anno fere decimo. Ad Gemellorum phanum eius funus frequens populus extulit.

Petrus Gradonicus Dux xlix.

In Gradonici principatum atrox coniuratio incidit. Baiamons Tepulus homo nobili genere natus, sed animo in patriam hostili, uidens rempublicam multis bellis & cladibus concussam, cum multis

DE DVCIBVS VENET. lib.

multis alijs quos dementiæ suæ fecerat socios,
in patriam coniurauit. Conuenerat inter eos,
ut constituto ad patrandum facinus die, in cu-
riam irruerent, ac momento temporis Grado
nico Duce, patribusq; occisis rempublicam inua-
derent, resq; imperij inter se partiti, apertam
exercerent tyrannidem. Vbi uero dies, quo
tentanda res erat, illuxit, coniurati cum cla-
moribus strepituq; in publica loca procurrunt.
Res aliquanto antea Duci & patribus significa-
ta, ingentem terrorem attulit. Conclamatur ad
arma. Dimissi per urbis uicos, qui alta uoce
significarent, ut quicumque rempublicam sal-
uam uellent, arreptis armis in curiam ad feren-
dam principi ac patribus opem aduolarent, un-
dique huc ciues reipublicæ amantes concur-
rerent. Fit impetus a coniuratis, oritur fœ-
dissima pugna. Tandem optimatum factio
uictrix, coniuratorum arma cum multa cæde
ex publico repulit. In ea trepidatione Baia-
mons coniurationis caput, ubi fortunam inclina-
re uidit, domum se recipiens a muliercula quapi-
am superne deiecto magno lapide pene exani-

HADRIANI BARLANDI

matus iacuit, quem ita graui retentum uulnere q̄
eum insequēbatur ferro oppresserunt, coniuurato
rum aliquos patricij sanguinis, ad suum conspe-
ctum adductos, princeps confestim securi per-
cussit. Senatus ex publico stipendiū mulieri, quæ
Baïamontem lapidis deiectu retardauerat, et po-
steritati eius decreuit. Festa Viti martyris lux
erat, quum teterrima coniuratio oppressa est.
Hinc quotānis stato die Dux & patres, præeūte
clero, quasi publicam salutem ad Vitum refe-
rentes, eius templum adeunt. Vnde reuerſi opi-
pare, laute, splendideq; in ciuica domo epulantur.
Dux Gradonicus anno principatus duodecimo,
ac mense nono e uiuis concessit. Eius funus Cy-
priani templo ciuitas intulit.

Marinus Georgius Dux .i.

Marini huius qui a uitæ probitate Sancti cogno-
men accepit, principatu Veneti annum unum
Pontificis interdicto obnoxij fuerunt, ob Ferrā-
riam occupatam Romanæ Ecclesiæ uectigalem
urbem. Per idem tempus amplum & magnificū
diuo Dominico phanum Ducis Marini sumptu
ædificatum est, & frequens in eo collegium in-
stituitur.

DE DVCIBVS VENET. lib.

stitutum sacris operantium . Pium etiam ab eo
statutum hospitium, ubi languentibus uictum p-
petuo exhibendum cauerit . Ab hoc principe
bona omnia sperari poterant, si longior ei prin-
cipatus contigisset. Fatalem obiit diem mense de-
cimo ab eo quo honorem inierat.

Ioannes Superantius Dux li.

Superantio principe Veneti Clementis quinta
Pont. interdicto, cui, ut proxime dixi, ad eam di-
em obnoxij fuerant, soluti sunt. Ad id impetran-
dum miserant patres, Franciscum Dandulum.
Pontifex, cui ob captam Ferrariam Venetus e-
rat inuisus, missum legatum serius admisit, q̄ ad-
missus catena ferrea collo iniecta, ad Pontificis
mensam tam diu in morem canis prostratus ia-
cuit, donec expugnata illius ira ignominiosam
notam patriæ ademisset, & ex eo illi postea Ca-
nis cognomen fuit, quod ut canis, ad Pontificiã
mensam proiectus iacuisset. Duriter profecto
ne superbe dicã, Pontifex egit, quem exemplũ
saltem nostri Seruatoris, cuius ipse uicarius tũc
erat, mouere debuit, qui ne sceleratissimo quidẽ
latroni ueniam negauit. Duriter ut dixi Pont.
egit,

HADRIANI BARLANDI

egit, quia potuit. Dandulus uero pie, quia uoluit. Probabitur illius factum foriaste ab aliquibus, huius uero pietatem omnis non solum probabit, sed mirabitur etiam posteritas.

Dux Superantius annos sexdecim, menses sexrem Venetam administravit. In diui Marci sacello funeratus, ubi Baptismi lauacrum uisitur.

Franciscus Dandulus,

Dux lii.

Superantio rebus humanis exempto, Franciscum Dandulum populus Ducem declarauit. Eum uirum qui tam ignominioso statu pro patria nuper conspectus fuerat, non ingrata ciuitas cultum nunc summi honoris insignibus conspici uoluit.

Per id tempus Venetijs mira annonae caritate laboratum est, naues aliquot frumentarum missae in Siciliam. Magna hinc accepta uis tritici paucis diebus, quod gratissima fuit populo, famem discussit. In principatum Danduli Eclipsis solis incidit. Sol circa meridiem trium horarum spatio obtenebratus fuit. Excessit e uicis Dandulus anno sui Ducatus circiter undecimo.

Bartho

DE DVCIBVS VENET. lib.

Bartholomæus Gradonicus Dux liii.

Sequitur Bartholomæus Gradonicus. Huius du-
catu ita ingens fuit in urbe cataclysmus, ut tri-
bus cubitis & amplius quam unquam alias cre-
uerint aquæ. Circa hæc tempora rebel-
latum est a Cretensibus quibusdam Regu-
lis, ad quorum motus comprimendos, in insulam
missi cum exercitu Nicolaus Phalerius, Iusti-
nianus Iustiniani cognominis, & Andreas
Maurocenus, paucis diebus in Venetorum po-
testatem redactos, meritis sui sceleris pœnas
luere coegerunt. Multi aquis mersi, plures su-
spendio necati. Regulorum supplicio territa
plebs, ad imperium breui postea redijt. Ingen-
tem annonæ caritatem totus Gradonici prin-
cipatus habuit, sed ille brevis admodum fuit,
quippe qui biennium & menses nouem non ex-
cessit. Defuncti corpus sepultum in aureæ ædis
uestibulo.

Andreas Dandulus Dux liiii.

Andreas Dandulus uir & doctus, & elo-
quens, ut homines eius ætatis esse potuerunt.
Comis ad hæc & natura munificus, unde
Comis

HADRIANI BARLANDI

Comisini cognomentū traxit, Gradonico sufficitur. Non alias fere iunior quisquam regimē accepit. Reperio sextum et trigesimū uitæ annum tunc egisse, quum summum apud Venetos honorem est adeptus. Sub primam huius administrationem ex federe iēto inter Clementem Romanum Pontificem, & plerosq; alios Christiani nominis principes, contra Turcas longæ nauis sexdecim instructæ sunt. Petrus Zenus classis præfectus plurimis Barbarorum oppressis nauibus, Smyrnam urbem adortus cepit, captam ualido præsidio firmavit. Ingens annonæ caritas ciuitatem pressit, quæ sub Gradonico principe ceperat inualescere. Ad eam leuandam, naues aliquot coemendi causa frumenti in Apuliam & Siciliam missæ sunt. Ex his quatuor tantum frumento onustæ, domum incolumes redierunt. Cæteras fœda tempestate perisse inuenio. Reditu nauium quum annonæ caritas remisisset uno sublato malo aliud confestim subsequutum est. Nam & motu terræ magno, qui in festam conuersi Pauli lucem incidit, ædificia multa & publica & priuata ruinam contraxerunt. Aliquor
ædiā

DE DVCIBVS VENET. lib.

ædium sacrarum turres fastigium demisere. Sub
hunc terræ motum scædissima pestilentia corri-
puit ciuitatem. Ex omnium languentium nume-
ro, qui indicibilis fuit, uix centesimus quisq; mor-
tem euasit. Andreas Dandulus diem obiit non-
dum actis in regimine annis duodecim.

Marinus Phalerius Dux lv.

Marinum absentem populus Ducem declarauit.
Agebat tum ille Oratorem publicum apud Ro-
manum Pont. Initio principatus eius fames, pe-
stilentia, diri terre motus ciuitatem concusserunt.
Marinus quum iam nouem menses præfuisset,
regnum affectare cœpit. Homini nephario, et pa-
triæ, patrumq; conscriptorum hosti, in animo e-
rat cæsis primoribus Remp. occupare. Ad scelus
patrandum socios habebat facinorosissimos ali-
quos. Sed hoc quoq; tempore diuina prouidentia
seruati sunt optimates, nam pridie eius diei, qui
patrandæ cædis statutus erat, quidam ex coniu-
ratis pœnitentia credo ductus Nicolao Leoni uiro
patricio rem omnem aperuit. Qua audita Leo cõ-
festim Seniores patrum ad se uocat, quibus uisum
est optimum ac tutissimum fore, si coniurationis

HADRIANI BARLANDI

auctores & capita quamprimum apprehenderentur. Quod ita factum est, usq; ad sexdecim numero. Hos apprehensos et sceleris conuictos, patres conscripti suspendio necari iusserunt. Dux Phalerius securi subiectus est. Mortui cadaver octo uiatoribus cereos præferentibus, ad Gemelorum ædem deportatur. Acerbissima deinde habita quæstio de coniuratis alijs, inuenti & sceleris conuicti quadringenti, non uno genere supplicij perierunt. Senatus alios suspendio mittari, alios securi percuti, quosdam in mare proijci iussit. Venia data est omnibus, q se coniuratis adfuturos dixerant, non tamen ita fecerunt. Indici coniurationis nõ solum ignotum, sed annuũ etiam decretum est stipendium.

Ioannes Gradonicus Dux lvi.
 Duce Gradonico Veneti pace terra mariq; parta, ad mercaturã cõuersi in Cyprum & Aegæi maris emporia naues quamplurimas dimiserunt. Reducta est non multo post hæc classis a Bernardo Iustiniano, quẽ patres ad mercatum eunti præfecerant. Obijt Gradonicus mēse secũdo, anni qui secundus erat ei in ducatus honore.

Ioannes

DE DVCIBVS VENET. lib.

Ioannes Delphinus

Dux lvii.

Ioannes Delphinus absens Gradonico surrogatur. Huius principatu Venetus a Ludonico rege Pannoniæ qui Dalmatiam inuaserat, pacis conditionis accepit, necessarias magis, quàm honestas, iniquo reipublicæ tempore cessit Barbaro Dalmatiæ possessione. Delphinus uita decessit anno regiminis quinto circumactio.

Laurentius Celsus Dux lviii.

Laurentius Celsus qui proximo ducatu positus cum Ludonico armis ad Carolum Imperatorem magnis de rebus in Germaniam fuerat missus. ipse quoque absens, Dux eligitur. Misit ad eum ciuitas duodecim patricij ordinis uiros, qui publice ei nomine summum urbis honorem gratularentur, & naui impositum Venetias reducerent. Quem suburbanis littoribus applicantem patres obuiam progressi honorifice exceperunt. Noui principis pater, ut scriptum inueni, aliquandiu a salutationis officio abstinuit, ne filium capite nudato adire cogeretur. Parum ciuilitate ille, & inrudite fecit.

V Debn

HADRIANI BARLANDI

Debuit eum docere quod apud Gellium Taurus
Philosophus ait, in publicis muneribus patrum
iura cum filiorum q̄ in magistratu sunt potestatibus
collata interquiescere paululum, & conuiuere.
Debuit intelligere id officium se, non filio, sed rei-
publicae maiestati quae in filio conspiciebatur, praes-
tare. Praeclaris Ethicae disciplinae uiris placu-
it, ut filio magistratum gerenti, in publicis acti-
onibus parens cedat, domi uero paterna dignita-
tis in primis ratio habeatur. Cum extra Remp.
in re domestica, atq; uita, uel sedetur, uelambu-
latur, in conuiuio quoq; familiari discumbitur,
tum inter filium magistratum, & patrem priua-
tum publici honores cessent, naturales & genui-
ni exoriantur. Celsus Remp. gubernante, Dux
Austriae Venetias applicuit, non alio negotio
adductus, nisi ut urbem quam medijs audierat
aquis fundatam inspiceret. Quod ubi senatus co-
gnouit, illum uenientem honorificentissime ex-
cepit, & hospitium principe uiro dignum expe-
dit, & impensas liberaliter tum ipsi, tum toti
comitatu praestitit. Lustrata itaq; per otium ur-
be, post non multos dies in Germaniam redijt.

Celsus

DE DUCIBVS VENET. lib.

Celsus regiminis sui mense decimo supra trienni-
um humanæ necessitati concessit.

Marcus Cornarius Dux lix.

Cornarij ducatu Cretenses defecerunt. Missi a
Venetis, qui hunc motum inhiherent. A Pontifi-
ce etiam Rom. p̄ id tēpus facile impetratum ē,
ut quisquis aduersus p̄fidios insulanos arma sum-
psisset, is omnium delictorum suorum plenam
demereret ueniā. Cornarius post biennij, & mē-
sum octo administrationē iā grandis natu mor-
tem obiit. In Gemellorum phano sepultus est.

Andreas Contarenus Dux lxx.

Andreas oblatam sibi dignitatem adire noluit.
Receperat se ob id ipsum in Patavinū agrū, ubi
fundum habebat, nō rediturus in urbem, nisi no-
ua alterius ducis declaratio secuta esset. Sed quū
neq; patrum, neq; amicorum literis Venetias ad-
capessendum principatum retrahi posset, missi
sunt ad eum cognati eius aliquot, futurum denū-
tiantes, si oblatum sibi honorem recusare per-
geret, ut non multo post, quod senatores in-
terminati essent, bonis publicatis ipse in exilium
egeret. His ille priuato periculo motus cessit,

HADRIANI BARLANDI

Et Venetias uenit, magno posteris exemplo relicto, ne quis temere rem publicam adeat, quæ non tam nostra quam ipsius causa aduenda est. Cum Andreas summam dignitatem accepisset, res publica externis bellis uehementer iactata est, et urbs magno pere annona laborauit. Contarenius præfuit annos quatuordecim et amplius.

Michael Maurocenus Dux lxi.

Mauroceno principe legem de sicarijs lata inueniretur, ut qui hominem interfecisset, securi percute re suspendio necarentur. Statuerat hic Dux non his institutis et sanctionibus ornare ciuitatem, sed quo spei plenior, eo quidem breuior fuit eius principatus. Obijt enim mense circiter quarto administrationis suæ.

Antonius Venerius Dux lxi.

Venerius absens factus est princeps homo præter claros natales ameno ingenio, et ad omnium gratiam promerendam comparato. Sub Idus Ianuarias domum reuertenti, patres cum magna ciuicum parte obuiam prodierunt. Multi hic complexus, et magna gaudia, ut tanti uiri præsen-

DE DVCIBVS VENET. lib.

tia omnibus iucundior esset, diuturnior fecerat absentia, septennium enim cum tota domo absuerat. Tēporibus eius neq; discordia ulla in ciuitate, neq; motus fuit. Ad hæc suauissimum & probatissimum fecit hunc principatum copia rerum omnium. Venerius annos octodecim rempublicam administravit.

Michael Stenus Dux lxxiii.

Michael Stenus Venerio suffectus est. Nulli priorum Ducum maiores populus honores habuit, ab omnibus ciuitatis ordinibus ludi sunt magnifice instructi in eius gratiam. Non multo post Venetis Patavium obsidione prementibus Massolerius quispiam Veneti sanguinis in suspicionem uenit, quod sagittas literis alligatis ad hostem Patavium occulte mitteret.

Coniectus in compedes Venetias auehitur, ubi crimen confessus recte suspēditur in curiæ parte superiore. Eodem die Massolerij fratrem et alios duos sacerdotio initiatos loco, qui ad geminas colūnas dicitur, uiuos obuersis capitibus humo deffos, let Ioannē quendā Ticinēsem laqueo necatū reperio. Illi nocturno tēpore urbem pluribus

HADRIANI BARLANDI

locis incendere statuerāt. Hic occulta cum hoste habuerat colloquia. Zeni ducatu Veronenses & Patauini cum suis finibus Veneto cesserunt imperio. Bellum quod cum his populis gestum, uix triennio tenuit, ad uicies centena aureorum nummū milia ex publico absumpsisse traditur. Sub id tēpus urbis summa turris, quæ pro aurea æde uisitur, conflagrauit, quod ortum incendium est ex nocturnis ignibus, quos Veneti ob inçlytam uictoriam tota urbe excitauerant. Vidit huius Zeni principatus prodigiosam quoq; tempestatem, quæ circa Augusti idus cum pluuia & grandine tanto impetu exorta est, ut plæræq; naues, & aliæ fluctibus obrutæ, aliæ suburbanis allisæ littoribus perierint, multæ præterea domus priuatæ & publicæ ruinam traxerint, arbores solo auulsas remotioribus locis uis uentorum affluerit. Zenus anno ducatus xiii. terras reliquit.

Thomas Mocenigus Dux lxiiii.

Mocenigi Ducis anni uiderunt ædis diui Marci conflagrationem, incendium ex ducario ortū, ita atrociter debacchatum est, ut plumbo, ex qua materia totum templum opertum fuit, liquefacto ni

DE DVCIBVS VENET. lib.

Et nihil quibusdam locis præter nudam testudinem superfuerit. Senatus consulto cautum erat, ne quis de ueteri ducario disijciendo apud patres in curia mentionem faceret. Si quis fecisset, huic multa irrogaretur mille ducatorum. Dux Mocenigus publicum decus priuato commodo anteponeus, mille ducatos in senatum attulit. Patres rogauit uti iuberent incendio & flammis deformatam ducariam sedem sumptuosius ac splendidius, ut publica maiestas exigebat, instaurari. Triumuiroi aduocatores a Duce quod contra senatus consultum fecisset, multam petiuerunt. Soluit eam Dux lubenti animo. Quæ in suscepta actione persisteret, antiquato priori decreto, patres ducariam domum instaurandam cœsuerunt, atq; ita diruto ueteri ædificio magnificentius aliud cœptum est extrui. Sed eo nondum ad summum deducto, princeps fatali morte extinguitur.

Franciscus Foscarius Dux lxxv.

Huius creatione adeo gauisa est uniuersa ciuitas, ut hastici ludi, aurigatiões, et alia multa spectacula, per annum singulis fere diebus festis instau-

HADRIANI BARLANDI

rata sunt. Hoc etiam anno cū Philippo Mediola-
 nensium Duce ceptū est bellari, ppter ea quod
 ille a Florentinis non abstineret, quos nouo scē-
 dere in socios acceperat Venetus. Foscario Duce
 ita suburbanæ aquæ alta glacie concreuerant, ut
 ex Mestra oppido spōsa curru Venetias aduecta
 sit, qđ nullis ante ætatibus acciderat, ut quæ aquæ
 inter urbem sunt & continentem fuerint aliquo
 modo plaustris peruiæ. Per id tempus Venetijs
 duplex numus est percussus. De hoc Francisca
 Foscario Franciscus Philelphus in quadam epi-
 stola. Ut me delectat, inquit, assidua recordatio
 sapientissimi principis Francisci Foscari, cuius
 splendidissimum nomen nulla unquam posteri-
 tas ignorabit. Is enim quum primū audisset captā
 urbem Cōstantinopolim cōuocato senatu, postea
 q̄ de tantæ rei indignitate, & acrem (ut semp)
 & grauem, & commiserabilem habuisset orati-
 onem, fertur consuluisse, non esse cunctandum
 diutius, sed bellum confestim suscipiendum ad-
 uersus Turcas, ne tantū neglectū incendium lati-
 us consurgens in flammis, omnia concremaret.
 Fuit is certe Franciscus Foscarius, qui & inge-
 nij acti

DE DUCIBVS VENET. lib.

nij acumine, et animi magnitudine, et pertractatione plurimarum maximarumq; rerum, in omni genere laudis cum omni posset conferri antiquitate. Huius si consilium ualuisset, si rationi potius, q̄ perturbationi esset obtemperatum, qui nobis hoc tempore tantus imminet terror, omnem hostium ferociam prosterneret. Sed quanto quæq; respublica maior est, & potentior, tanto ciuiles contentiones et crebriores sunt, & longe magis periculosæ.

Paschalis Maripetrus,

Dux lxxvi.

Foscarus exactis in principatu annis quatuor & triginta, iam nonaginta natus annos, & ob decrepitam ætatem obeundis muneribus inidoneus, posuit summi magistratus insignia, cui abhuc uiuenti suffectus est Paschalis Maripetrus. Ingens hoc Duce factus est terræ motus, qui circa Nonas Decemb. totam fere Italiam cõcussit. In primis Neopolitanũ regnũ. Inuenio multas magnasq; in hoc Paschali fuisse uirtutes, sanũ ingenũ, nihil fictũ, nihil simulatũ,

V 5

pacis

HADRIANI BARLANDI

pacis studium, religionem. Quumq; flagitiorum
infectator acerrimus esset, fontes & sceleris
conuictos, aut meritis admouebat supplicijs, aut
si id minus facere contigit, proscribat. Libro-
rum imprimendorum rationem tum primum es-
se in Italia repertam memoriae proditum est. In
uentū ipsum Germani hominis putatur. Pascha-
lis, annis quatuor & dimidio republica bene
sancteq; administrata diem obiit.

Christophorus Maurus Dux lxxvii.

Christophoro Duce, Thomas & Demetrius fra-
tres Peloponensi principes erant, quibus inter se
dissidentibus, Demetrius ad Turcas deficiens, il-
lorum arma in Peninsulam induxit. Sustinuit gra-
ue bellum aliquandiu Thomas. Postremo perdi-
tis rebus, immanissimum fugiens hostem, in Ita-
liam ad Pium secundum Pontificem nauigauit,
diui Andreae capite secum sublato, quod Roma-
nus Pont. cum frequenti clero, & magna popu-
li parte obuiam progressus circa Mammeum pō-
tem, venerabūdu excepit. Per eadē tempora idē
Pius Pontifex suam in Turcas expeditionem in-
ante Mantuano conuentu motam ad exitum p-
ducere

DE DVCIBVS VENET. lib.

ducere cupiens, omnia parari iussit profectio-
necessaria, quam a discessu ab urbe Roma An-
conam usq; huiusmodi fuisse reperio. Pius Pont.
profectionem suam in Turcarum gentem perfi-
ciendi cupidissimus, ad xiiii. Cal. Iulij in ædem
Apostolorum mane descendit, uti mos eius erat,
quum aliquo abiturus urbem relinqueret, ibique
veneratus aras, & rerum successum precatus Ra-
ma egreditur, Patribus lecticam eius sequenti-
bus, ad pontem Miluium dimisit a se omnes præ-
ter eos q; Anconam usq; sequuturi essent. Nauicu-
lam deinde ad leuandam terrestri itineris fati-
gationem, ascendens per aduersum annem ad
castellum Iubileum peruenit, quod decem ab ur-
be miliaribus distat, si per Tyberim iter facias.
Pransus eo die in nauicula Pius in eadem etiam
cœnauit & pernoctauit. Postridie sub ortum so-
lis inde soluens Phianum appulit. Tunc quoq; ci-
bum cepit, & noctu quieuit in nauis, propterea
quod citra multam offensionem membrorum tra-
ctari & circumferri non potuit a lecticarijs.
Die quæ sequuta est peruenit ad cœnobium di-
ui Benedicti post occubitum solis. Hoc etiam lo-
co, ut

HADRIANI BARLANDI

eo, ut superioribus fecerat diebus in lembo dor-
 miuit. Hinc ad portū Oriculi p̄fectus est. Mal-
 lianenses, qui populi in Sabinis sunt, cum audis-
 sent Romanū aduētare Pont. ad subiectā Tybe-
 ris ripā, qua transiturus erat ille, frequētes descē-
 derūt. Nauiculatores lembū trahebāt p̄ sinistra-
 latus fluij, ligatis ad malum funibus. Conspē-
 cta Pius oppidanorum multitudine, & epula-
 rum apparatu, quas sublatis in cœlum lancibus,
 ostendebant ordine longo, ne facti eos impendi-
 p̄cūteret, & contemptos se putarent, conuertit
 subito in dextrum amnis latus nauigium iussit,
 atq; ibi aliquandiu usendum se præbuit. Grata
 Mallianensibus ea fuit Romani Pōtificis huma-
 nitas. Postridie ultra Oriculum non est pro-
 gressus ob incommodam ualetudinem. Hic nun-
 tium accepit de rebus in Peloponeso feliciter
 gestis, unde actis Deo gratijs ab Oriculo an-
 te lucem uitandi æstus gratia mouens Narniā
 caloribus diei nondum intendentibus peruenit.
 Sequenti die Interamnam contendit, quæ profe-
 ctio haud mediocriter animum eius refecit, dum
 per subiectam planiciem iter tenens, agras, præ-
 ta uirē

DE DVCIBVS VENET. lib.

ra uirentia, & cum magna delectatione arces
 inueneretur, quæ uicinis in collibus non longis in-
 ter se spatijs apparebant. Sub auroram oppi-
 dum ingressus Dominici præcursoris nata-
 lem hic peregit, iter ab Interamna Spoletum
 usque, & si non amplius milibus passuum xii.
 esset, tamen quia inter perpetuas, & saxosas ual-
 les molestum nimis uidebatur, ne ualitudinem
 grauius offenderet, partiendum Pontifex pu-
 tauit. Igitur ad tres tabernas ipse restitans, Car-
 dinales præcurrere Spoletum iussit, hospitio-
 rum ibi maiorem habituros commoditatem.
 Postero die Pius Spoletum delatus, inde con-
 tinuato itinere ad medium fere Iulij mensis
 non sine labore & molestia Anconam perue-
 nit. Hic expectatio Venetæ classis eius animæ
 uehementer anxio. Magna uis hominum ad fa-
 mam piæ expeditionis excita ante Fij ab urbe
 digressum, ex Gallijs & utraq; Germania con-
 fluxerat. Sed per Sabinos, Umbros, & Picenos
 iter facienti, longe maior occurrit. Multos ex
 his concessa prius peccatorum uenia domum
 redire iussit, & quia sine uatico uenissent,

HADRIANI BARLANDI

& quia parum gerendo bello essent idonei, dies
 plus uiginti Anconæ expectatus Pontifici Chri-
 stophorus Maurus, Dux Venetus, pridie Idus
 Augusti cū triremibus duodecim optime ad bel-
 lum instructis aduenit. Post cuius aduentū Pius
 lenta feбри, qua non nihil antea in itinere, & po-
 stea Anconæ cōfliktatus fuerat, biduo uita deces-
 sit, An. humanæ salutis quarto & sexagesimo,
 supra millesimum, ac quatercētesimum. Mortuus
 pro fide Catholica, & redemptione plebis capti-
 uæ Pius, obtulit se ipsum hostiam Deo, relinques-
 exemplum sacerdotibus, quales pro commisso si-
 bi grege pastores esse debeant. Bonus pastor po-
 nit animam suam pro ouibus suis. Pecunia quam
 ad tantum belli onus exiguam Pius cōtraxerat,
 Cardinalium iussu Venetorum Principi adume-
 rata est, ut Mathiæ Pannoniæ Regi assiduū cū
 Turcis bellum gerenti mitteretur, ad soluēda mi-
 litibus stipendia. Post Pij secundi obitum tantū
 belli onus solos Venetos suis uiribus per multos
 deinceps annos sustinuisse reperio, non Italiæ
 solum oppidis, sed omnibus Europæ gentibus eorū
 cum hoste potentissimo terra marique belligerant
155

DE DVCIBVS VENET. lib.

tes secure & otiose spectantibus. Mauri principatus annos nouē & sex menses habuit. Ad Iacobum phanum quod ipse suo sumptu cum proximo cœnobio extruxerat, funeratus est. Nec ea tantum parte ciuitatem ornauit, sed & partē in teriorem Ducarij uestibuli iam a Maripetri principatu inchoatam ad summum deduxit.

Nicolaus Thronus Dux lxxviii.

Nicolao Throno principe, fœdus cum rege Persarum est iētum, & Cyprus nobilissima insula Veneto accessit imperio. A patribus ad Romanum Pont. & ad Ferdinandum Regem missi legati, qui peterent, ut ad bellum Turcæ communi hosti inferendum se in proximam æstatem pararent. Legatis benigne respondit, & prauiuis atque opibus auxilia uterque promisit. Datae etiā literæ sunt ad Cyprios & Rhodios, ut uires in Barbarum contraherent. Mocenicus Venetorum exercitui præfectus, p̄ Christiana fide strenue & magnifice multa gessit. In oram Ionice transmisit, Aeoliam & Cariā opulentissimas hostium regiones ferro & igni populatus est, Attaliam Pamphiliæ urbem ab Attalo Re-

HADRIANI BARLANDI

ge conditam auxiliaribus Pontificis, & Ferdinandi Regis classibus adiutus expugnauit. Thronum tenuisset, medio fere Autumno extinctus est. In templo Franciscanorum sepelitur, ubi a Philippo filio, magnificentissimum illi ex candido marmore & auro monumentum secus aram maximam erectum uisitur.

Nicolaus Marcellus Dux lxxix.

Nicolaus Marcellus eximia uir pietate, fit inde Dux Venetorum, quo Remp. administrante seriem rerum a Venetis gestarum p Alexandro Pont. Rom. aduersus Fridericum Imperatorem noua figuratione instaurare coepit Gentilis Belinus, uir ea tempestate pingendi peritissimus. Idem a Venetis ad Athamanum Turcaru imperatorem, post pacem cum eo factam Constanti-nopolim missus, quum eximia multa eius artis experimenta edidisset, equestri ad eo dignitate amplissimisq. muneribus donatus, Venetias redijt. Marcello Duce argenteus numus est percussus, quē Marcellum ab autoris nomine dixerūt. Scodram Dalmatis civitatem Turcæ oppugna-

NETUNA

DE DVCIBVS VENET. lib.

uerūt tanto conatu, quanto post Bizantiū nullū
 Christiani nominis oppidū. Sed Antoniū Laure
 tani, q̄ tū erat oppidi prætor ac totius puincie le
 gatus uirtute, et Scodrensiū costantia multa cum
 strage & ruina hostes sunt a mœnibus re-
 pulsi. Tria milia Turcarum sub muris cæsa tra-
 dūtur. Inclytæ huius uictoriæ nūcius ingēti gau-
 dio ciuitatē Venetā affecit. Laudauerūt amplissi-
 mis uerbis oēs ciuitatis ordines Lauretanū, publi-
 caq; illi munera decreuerūt. Scodrensiū laudau-
 erūt fidē, uerāq; in defendēda urbe uirtutem. His
 quoq; sua sunt reddita præmia. Gratias ad id cir-
 ca omnia tēpla Deo Opt. Max. egerūt, q̄ tanto
 armorū apparatu obsessa urbs in Tyrāni potesta-
 tē nō uenisset. Marcellus Dux præsedit annum
 unum, & tres ferme menses. Defunctum hono-
 rificētissime sepeliuit ciuitas apud Carthusiēses,
 Petrus Mocenicus,

Dux lxx.

Mocenici primo anno Veneti nauē unā omnifa-
 riā Turcarū mercibus plenā inter Cyprum &
 Ciliciā oppresserūt. Turca cū triginta hominū
 milibus, Naupactū in sinu Corinthiaco sitū oppu-

HADRIANI BARLANDI

tre est adortus. In obsidione quatuor exactis
 mensibus, quum nulla expugnandi oppidi spes
 esset, nam ualidum intus praesidium erat, fatiga-
 tus bello Barbarus abiit. Idem Lemnum insulam
 subita ui postea adortus, Coccinum in ea oppi-
 dum improuisa irruptione cepisset, nisi Lemnia
 ea puella Marulla nomine, patrem suum ab ho-
 ste in portis Coccini occisum intuita, scuto iacen-
 tis, & ense arrepto Barbaros iam portam irrum-
 pere uolentes tam diu sustinisset, quoad suorum
 occursum adiuta, illos magna cum caede ad naues
 usq; reiecisset. Ob facinus tam egregium, puel-
 lam hanc Antonius Lauretanus, cui ob rem ad-
 Scodram fortiter administratam maris fuerat de-
 latum imperium, magna pecunia donauit, et opti-
 onem illi dedit, ut ex fortibus uiris maritum que-
 reret, cum dote summa ex publico acciperet. Cui
 illa respondens, me inquit Lauretane non fortitudi-
 nis solum, sed probitatis etiam rationem habere
 oportet. Nulli itaque prius nuptura sum quam plane
 exploratum habeam, qualis ille futurus sit mari-
 tus. Mocerius Dux cum annum unum & menses
 duos retractasset habenas ex humanis decessit.

Andro

DE DUCIBVS VENET. Lib.

Andreas Vendraminus

Dux lxxi.

Hoc principe in Croianis campis Turcæ cum Venetis dimicauerūt. Fugati Turcæ, et castrorum capta direpta; sunt. Sed uictoriæ huius breui somnino lætitia fuit. Dū enim præde magis q̄ pugnae intenti, Veneti dispalantur, et inter se consultant, debeant ne fugatis hostibus in eorum castris pernoctare an in sua redire, ecce subita Turcarum impressione degrauiati, et circumuenti fœde cæduntur. In his Franciscum Cõtarenum legatum ac plerosq; uiros illustres qui honestum ducebant ordinem, cecidisse inuenio. Vendraminus princeps cum alterum sui ducatus annum aliqua ex parte egisset, mortem obiit.

Ioannes Mocenicus Dux lxxii.

In Vendramini locum Ioannes Mocenicus Petri Mocenici principis frater spectatæ uir innocentiae sufficitur. Hoc Ducæ Turcæ multo atrocius q̄ triennio ante, Scodram oppugnauerunt, sed capi nã potuit ciuibus strenue eã defendentibus. Medio certamine bombardarum ictus feruissima tonitrua imitati undiq; circumsonabant,

HADRIANI BARLANDI

mille mortis picula obuersabatur oculis, uidebatur
 obsessi suorum corpora tormentorum ictibus lanari,
 et uariis casibus non uno loco cadere, piculorum ta-
 men inmemores, iniunctis animis resistebant. Quod
 uides Turcarum rex sibi rem esse cum his, qui mori mal-
 lent, quam cedere, et munitionibus freti cuius uel nu-
 merosissimas copias conficere possent quam uinci, fre-
 dentes gemensque suos in castra reduxit. Interim obsi-
 dione adhuc tenere Drinastum bombardis concussu, Ve-
 netis ademit, unde quingentos ciues adductos an-
 te Scodrensiu oculos interfici iussit. Ademit et
 Lyssum. Hinc ducetos ad Marbegum, quem cum octo
 milibus ad continuandam Scodrae obsidionem reli-
 querat, in conspectu Scodrensiu ferro conficien-
 dos misit. Durauit inde obsidio menses ferme
 octo. Interim de pace agi ceptum est, quam his condi-
 tionibus sequutam inuenio, ut oppidanis si abire
 uellent ex urbe deductis Veneti Scodram Turca
 relinquerent, et quotannis adnumerarent octo milia
 reorum milia, ut pontica navigatio Venetis nego-
 tiatoribus tuto pateret. Conditiones placuerunt, et
 ciuibus migraturum Venetias. Hoc memorabile est, et
 Veneti senatus decreto, et Scodrensiu alij ppetuū
EX pte

DE DVCIBVS VENET. lib.

ex publico salariū, alij arcū, aliorūq; locoꝝ præ
 secturas, cū publico stipendio acceperūt. Deniq;
 nullus fuit quē non publico beneficio liberalis ci
 uitas subleuauerit, quia paulo ante cōstantissime
 et fortissime imperiū Veneti populi defenderāt.
 In Mocenici huius principatū incidit Pactiana
 cōiuratio, quæ parū absuit quin Florētice omnē
 temp. euerteret. Cōiurationis principes fuerunt
 Iacobus qdā Pactius equestris ordinis uir, ac ale
 ator strenuus, et Franciscus Saluiatus, q malis ar
 tibus Archiepiscopatū adeptus fuerat. Hi duo mi
 rifice indignabantur præferri sibi Medicū fami
 liam. In tēplo igitur diuæ Reparatæ quū Laurē
 tius et Iulianus, Medicei fratres, die quodā sacra
 audirent, eodē ingressi cōiurati pacta sacerdotis
 cōmunicatione Iulianū occiderūt, Laurētius se de
 fendit, accepit tamen uulnus in collo. Habeo in
 mea bibliotheca totā hanc cōiurationē elegāter
 conscriptā ab Angelo Politiano, uiro ad miracu
 lū usq; facundo. Duce Mocenico ducariū magna
 ex parte itez noctu cōflagrauit. Sacroz minister
 candelā in sacello principis incēsam p incuriam
 reliquerat, cuius lapsū, contractū est incendiū.

HADRIANI BARLANDI

Sed cum per diem paulatim serpendo ignis sese
 aluisset, circa secundam noctis uigiliã flãma subi-
 to emicuit. Plura omnino loca, ut sæpe alias, pe-
 stis illa corripuisset, nisi ciuium accursu mature
 restinctus esset ignis. Vidit etiam Mocenici du-
 catus initium & exitũ belli socialis quod aduer-
 sus totam ferme Italiam Veneti terra marique
 gessere, cuius ita sumptuosos fuisse apparatus in-
 uenio, ut duorum spatio annorum, quibus bellatũ
 est, tricies sexies centena aureorum milia in mi-
 lite alendo appensa dicantur. Quæ hoc bellũ se-
 quuta ẽ pax, læticiæ et gaudiorũ plena fuit. No-
 cturni ignes non tantũ Venetijs, sed in alijs quo-
 q; urbibus & oppidis Veneto parentibus impe-
 rio, excitati sunt. Indiæti & hastici ludi, aliaque
 certamina sub carnis priuij ferias. Senatus aureũ
 & argenteum pannum certantibus proposuit.
 Ingens hominum multitudo ad hoc spectaculum
 terra marique pfecta urbẽ mix in modũ repleuit.
 Mocenicus anno 7. ducatus sui hominem exiit.

Marcus Barbadius Dux lxxiii.

Marcus Barbadius uir prudentia singulari quã
 Resp. domi forisq; pacata esset ad ducarij refe-
 Etione

DE DVCIBVS VENET. lib.

tionē totum animum adijciēs breui totā loci mo-
 lem ad ortum spectantem superbo ope ad sum-
 mū ferme perduxit. Per idem tempus sollicita ci-
 uitate propter morbum pestiferū, q̄ ne per hyc-
 mem quidem multum remiserat creati sunt triū-
 uiri, q̄bus datum negotiū, ut quantū humana ope
 prouideri posset omnia curarent, quæ ad leuan-
 dū malū attinerent. Horum studio ad tollendam
 contagioem exuuiarū uis ingens a Vespillonibus
 fraude contracta publice concremata ē. Deinde
 multi ciues uiri, sceminae, pueri procul ablegati,
 ad urbē quæ multitudine abūdabat, exoneran-
 dā. Duce Barbatico ex Gallia nuntiatū ē, Maxi-
 milianum Friderici imperatoris filiū Romanoꝝ
 Regem declaratum. Quo audito Venetus sena-
 tus ad utrumq; legationem decreuit. Dominicus
 Trivisanus, & Hermolaus Barbarus uir omnium
 disciplinarum peritissimus, facundissimusq; Eru-
 gas Flandriæ (nam ibi tū agebat princeps) missi
 sunt, q̄ publico Venetoz; nomine illis præsentē
 regie appellationis declarationē gratularentur.
 Extat doctissima illa oratio per Hermolaum ad
 principes habita. Laudatur in ea factum Cæsa-

HADRIANI BARLANDI

vis Friderici, q̄ filiū generosissimū, qui nobilissi-
 mas gentes, ferocissimos populos, bellicosissimas
 nationes nō minus armis, q̄ sapiētia uicisset, Regē
 Romanū se uiuo renūtiari permiserit. Maxim-
 liano enim ad gubernacula tantarū rerum pro-
 to, posteritati quoq; cōsuluit, & pluribus in futu-
 rū sæculis puidit. Pestilentia, cuius paulo ante cō-
 memini, sub uernū tēpus cū cōepisset remittere,
 ita omnino circa solstitiū euanuit, ut multis ante
 annis non fuerit salubrior ciuitatis status. Sub
 hoc principe mira quoq; temporū felicitas fuit.
 Magna tritici, uini, olei, omniāq; rerū aliarū uis
 in urbem est inuectā. Raro alias Veneta ciuitas
 maiore otio & securitate floruit. Huc accessit
 quod idem populus tūc terra & aquis pacate a-
 geret. Hunc beatissimum ciuitatis statum, nō so-
 lum retinere, sed augere etiam, quū maxime no-
 etes diesq; Barbadicus studeret, mense sui re-
 giminis nono humanis decessit. Ob cuius inte-
 ritum uehementi ciuitas mœrore affecta est.

Augustinus Barbadicus Dux lxxiiii.

In Marci locū suffecit ciuitas eius fratrē Augu-
 stinū Barbadicum, et uitæ innocētia, et grauitate
 sena

DE DUCIBVS VENET. lib.

Senatoria insignē uirū, q̄ postridie q̄ ad summum
 magistratum assumptus fuerat, māsuētissima ora
 tiōe ad populū habita, se defuncti fratris fore in
 principatu simillimū ostēdit. Fuit in eo dignitas
 & maiestas quædā, quā cana barba, et ad pectus
 usq; promissa uenerabiliorē fecit. Post acceptum
 urbis regimē, fratris sui uestigia secutus & ipse
 a ducariæ domus reparatiōe, suam est auspicatus
 administratiōe, quod opus singulari magnificē-
 tia & maximo sumptu magna ex parte cōfecit.
 Nō ignarus in publicis aut priuatis ædificijs sum-
 ptuosum apparatū parere dignitatē & admirati-
 onē. Sic eq̄dē cēseo, opa ipsa magna, artificiose, ua-
 rie ac decēter ornata, firmiter et ad p̄petuitatē
 posita, nō ipsa mō iudicātur admirabilia, uerū au-
 tores ipsos admirabiles faciūt, quos æque genus
 omne hominū laudibus etiam mirificis p̄sequitur.
 Quid quod ædificia ipsa ubi eiusmodi fuerint, e-
 terris etiā lōgissime distitis, ad sui spectaculum
 homines trahunt. Poetas quoq; et rez; scriptores
 ad sui commendationem inuitant. Duce Augu-
 stino non parū auctæ sunt res Venetorum. Cre-
 monam, & totā fere Apulicæ orā sibi adiunxe-

HADRIANI BARLANDI

runt. Rursus a mari Cyprū feracissimā & Cephale-
niam nominis uetustate insignem insulam
sue ditiois fecerūt. Præfuit Augustinus annos
quindecim, quo toto tpe Venetijs neq; fame, ne-
q; pestilentia laboratū ē. Vita functū hūc Ducē
ad phanum publice charitatis extulit ciuitas.

Leonardus Lauretanus Dux lxxv.

Post Augustini obitū magno optimatū consen-
su, omniū ordinū studio, totius uero ciuitatis reip.
gubernaculis admotus ē Leonardus Lauretanus,
uir prudēs, pius, nec a literarū studijs abhorrens.
Postridie accepti regiminis quum per Marianā
aream de more gestaretur, ipse pecuniam sparsit
populo, & a duabus eius filiabus matrimonio lo-
catus ex procuratoria domo grandis multitudini
in area stanti pecunia plenis manibus effusa ē
in argumentum domesticæ lætitiæ. Per Leonar-
dum Veneta res nō solū suo cōstitit uestigio, sed
insigniter etiam aucta est. Leonardus æquauit
ius omnibus, templorum sanctitatem defendit, ce-
rimonias uindicauit, Sicariorum uim si qua fuit,
cohibuit, instaurauit iudicia, omnem compressa
forensem licentiam, subiecit ciuitatibus clemen-
ter in

DE DUCIBVS VENET. lib.

ter imperauit, omnium preces benigne & man-
sue audiuit, p̄ quæ facile cōsequutus ē, ut nō ho-
mo aliquis, uel hominū suffragijs crederetur in
eo dignitatis fastigio cōstitutus, sed felix quidā
Deus e cœlo missus, q̄ pacatis t̄pibus, rē Venetā
æq̄tate & innocētia tueretur, In bello prudentia
& felicitate auget qui patriæ saluti esset, suis
laudi, omnibus hominibus documēto, q̄ bene sum-
mus Venetæ Reip. magistratus in Lauretana fa-
milia collocatus esset. Incidit huius uiri admini-
stratio in sacrū annū ab Alexād̄ro eius nominis
sexto Pont. conditū. De ducibus q̄ post Leonar-
dū præfuerūt in literas mittemus quum certius
nobis omnia cōstabunt. Hoc unū addam nullam
esse in terris gentem, quæ tot habuerit bonos ac
sapientes principes q̄ Veneti. Solus hic populus
principū suorū sapientiæ felicitatē suā acceptam
ferendo uere dicere potest illud Solomonis. Ve-
nerunt mihi omnia bona pariter cum illa. De-
sinat Roma suos iactare Cæsares, quos bonos
tam paucos, tã multos habuit malos. Caligula me-
rito fax humani generis dictus est, q̄ uoluit po-
pulum Rom. unam habere cœuicem, uno ictu sa-
licuisse

HADRIANI BARLANDI

licuisset tā numerosam ciuitatem pdere cupiens.
Huius successori Claudio ab ineunte ætate pascens
constitit, unde mater Antonia cum uellet
in aliquo insignem notare stultitiam, dicebat eā
suo Claudio stultiolem, & portentum hominis
appellabat. Domitius Nero qui Claudio suc-
cessit, fax altera totius orbis Romani imperij
maiestatem paterna maternaq; cæde polluit,
Vrbem Romam incendit, Primus Christianum
sanguinem hausit Petro & Paulo interfectis.
In Sergio Galba rapiendi sitis et scœuitia iuxta
infames fuerunt. Otho princeps pueritiam par-
pudice custodiuit, adolescētiam petulantius egit,
sola luxus æmulatione Neroni conciliatus, scœda
ingenio, uentri ac gulæ natus. Et quod usu in
his uenire solet, pari scœuitia fuit Vitellius. Ne-
roni & Caligulæ propior uixit Domitianus, et
male dissimulatam scœuitiam per omnes ordines
effudit. Commodus imperator libidine, auaritia
& crudelitate. Caligulæ ac Neroni antefe-
rendus est. Didius Iulianus, qui primus Roma-
num licitatus est imperium, magis diues quam
probus fuit. Eo nō inscio Leti insidijs perijt opia
mas

DE VVICIBVS VENET. LIB.

mus princeps Aelius Pertinax. Piscennius Niger uita fictus, moribus turpis fuit. Caracalla imperator rotas noctes caedibus imperabat, Circusibus armatas copias in populum inmisit, quod quidam caullati essent, in aurigam cui imperator ipse fauebat. Hic iuxta fontes & insontes sine discrimine caesi sunt. Opilius Macrinus foedo carnificus; fuit ingenio. Alij alia, caeterum omnes de eo turpia scripserunt. Heliogabalo Caracallae filio quod contaminatus aut impurius uixit? Vix fere apud homines sint habitura, si saeuitiae eius memoretur exempla. Iulium Maximinum Aquiliae obsidione quam milites occidisset, filium quoque eius necauerunt, illud subinde repetentes, ex pessimo genere ne caelum quidem habendum esse. Decius quam inuitus ac reluctans imperium suscepit, quo modo bonus fuisse dici potest? qui iniuriam a Christiana pietate non abstinuit? Galienus, Caligulae & Vitellij simillimus, orbem terrarum pene perdidit. Maxentij tyrannidem Italia ferre non potuit. Quid dicam de Diocletiano? Nullius principis saeuitia atrocius Christianos afflixit. Iulianus impius apostota fuit. A uera fide ad malorum

HADRIANI BARLANDI

dæmonū cultū descivit. Theophilus diuorū imagi-
 nes auersatus non paucos qui eas colerēt ad mor-
 tem usq; cædi iussit. Romanus iunior quo modo
 potuit esse uir bonus, qui domi in matrem ac so-
 rores adeo impius fuit, ut regia eiectæ quæstū
 meretriciū occeperint. Michael qdā Calaphates
 præter nataliū ac parentū sordes, q̄ pice naues
 oblinirent, unde Calaphates etiā appellatus, aua-
 re & crudeliter imperauit. Ad hæc mortaliū in
 gratissimus, patriū, cuius opera & studio fuerat
 euectus ad imperiū, primū eiecit, reliquos deinde
 cognatos execut, ad postremū nec matri peper-
 cit relegata ea in insulā. Quod faciū tā impiū se-
 quuta populi cōspiratio, et matrē restituit, et tyrā-
 nū usu oculorū priuauit. Vox me citius defece-
 rit, q̄ nomina tātū recēsuro nō hominū, sed portē-
 torū, q̄bus se Roma subiecit, quorū feruitatem tot
 annos misera tulit. In qua gente una, sæpius im-
 pletū est illud Solomonis, Cum impij sumpserint
 principatū gemet populus, quasi sub seruitute de-
 ductus. Rex regum, dominus dominantū, Deus
 hominū sceleribus offensus, dat eis stultos, impi-
 os, leonibus, ursis, lupisq; similes principes. Pro-
 digiosa

DE DVCIBVS VENET. lib.

digiosas tempestates, bella, inundationes, rerum
 penuriam, famem, calamitates ut dicimus, ita e-
 tiam sunt. Sed nulla acerbior calamitas regioni
 obuenire potest, quàm stultus & impius princeps.
 Nullus Cometa oriri potest mundo exitialis, quàm
 princeps flagitiosus. Contra nullum aequè saluta-
 re sydus, ac vitæ Dux inculpatæ. Fere enim fit,
 ut principis sui mores reserat populus, quando-
 quidem homines & miremur, & imitemur libe-
 tius, & retineamus tenacius quæ uiderimus a
 principe & capite nostro factuari. Ducit enim
 quisque sibi pulchrū, si eum æmuletur quæ omnes
 suspiciunt, & ut cælo demissum numen adorant.

Louanij ex officina Rutgeri Rescij. Cal. Maij.

An. M. D. XXXII.

Sumptibus eiusdem, ac Bartholomæi Grauij

